BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Schurzfleisch, Heinrich Leonhard

Disp. de lucernis veterum christianorum sepulchralibus

Witteberga 1710
4 Diss. 3605,29
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10969735-4
VD18 15156508-001

4° Diss. 3605. (29

Q. D. B. V.

AVSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
PRINCIPIS SERENISSIMI, ET ELECT. SAXON. HEREDIS,
DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

EX ANTIQVITATE ECCLESIASTICA
DE

LVCERNIS
VETERVM CHRISTIANORVM SEPVLCRALIBVS,

PRAESIDE
PRO-RECTORE MAGNIFICO,

D. HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO,

HISTOR. PROFESS. PVBLICO, CONSILIARIO SAXO-VINARIENSI, ET PRINCIPALIS BIBLIOTHECAE DIRECTORE,

PATRONO ET PRAECEPTORE SVO, SVMMA ANIMI RELIGIONE COLENDO, ATQVE OBSERVANDO,
PVBLICE DISSERET
AVCTOR,

M. VVOLFG. CASP. TROPPANNEGERVS,

DRESDENSIS.

IN AVDITORIO MAIORI
III. NON. JVL. A. R. S. CIↃ IↃ C C X.

VITEMBERGAE SAXONVM, PRELO GERDESIANO.

10.

+ 10

ΠΑΛΑΟΓΕΣ ΣΑΒΒΑΟΥΑΙΝΕΣΚΑΑ

ΥΑΣΕΟΚ

ΑΒΕΙΟΕ ΒΑΥΕΟΜΕ ΟΟΕΣΥΜΟΟΕ ΟΕ ΟΟΜΟΟΕ

ΒΥΛΒΟΛΟ Ε.Ε. ΒΥΜΕΟΒΑΟΜΕ ΟΟ ΟΑΜΜ

ΙΗΜΟΥΕ ΟΙΜΕΟΙΟΜΕ

ΟΥΧΟ ΛΙΜΟΚΙΕΛΟΓΕΕΙ ΜΙΟΙΟΥΟΙΟ ΟΙΕΟ

ΙΙΑΟΟΟΒ-ΒΟΟΕΖΖ ΒΛΒΟΟΟ ΟΟΜΖΟΓΛΥΟΟ

ΟΟΗΛΒΥΗΕΙΟΟΗΟ

Ο-ΗΕΜΒΙΟΟ ΕΓΟΜΖΕΟΟ

ΒΟΟΕΜΕΟΟΜΕ ΖΙΕΜΕ

ΒΖΕΒΖΒΜΕ

ΟΕΒΛΟΟΚΜΙΟΕΛ

ΓΛΟΕΒΚΙΟ

Ο

ΕΚ ΥΛΛΙΟΛΙΕΜΕ ΕΟΟΕΙΕΜΟΛΙΟΜ

ΕΜΕΒΙΟΕΒΙΟΙ ΜΛΟΛΖΕΙ

Ο Ι ΜΕΙ Λ

ΕΜΜΟΜΕΙΖ ΖΕΕΜ ΖΜΜΙ ΕΕ ΜΕΕΛΖΜΟΜΕΖΜΟΛ

ΜΛΕΒΙΟΜΕ ΚΕΟΕΟΒΟΖ ΜΙΟΜΛΙΟΜΕΜΕΜΟΜΙ

Ο Ο Β Λ

SERENISSIMO. PRINCIPI
AC. DOMINO

DOMINO
FRIDERICO
AVGVSTO

DVCI. SAXONIAE. IVLIAE. CLIVIAE.
MONTIVM. ANGARIAE. ET. VVESTPHALIAE
ETC. ETC. ETC

PRINCIPI. REGIO
ATQVE
ELECTORATVS. SAXONICI
HEREDI

PIO. FELICI. MAGNANIMO

DOMINO. MEO

LONGE. CLEMENTISSIMO

D. D. D

M. VVOLF. CASP. TROPPANNEGERVS

PRINCEPS SERENISSIME,

DOMINE CLEMENTISSIME.



Issertationi meae ornamentum, ac praesidium maximum, conciliaturus, REGIAE TVAE CELSITVDINI eam offero, et, quam fieri potest, demississime, subiectissimeque, tra-

trado. Argumenti Hiſtorici eſt, ac LVCERNAS VETERVM CHRISTIANORVM SEPVLCRALES, a Romanis ad hos propagatas, atque ex locupletiſſimo Eccleſiaſticarum Antiquitatum Theſauro depromptas, complectitur. Equidem in tanta liberalium doctrinarum, quam late rei literariae fines patent, uarietate nulla eſt, quae non pulcherrima ſit, et tam utilitate neceſſaria, quam ſingulari cuiuſdam ſuauitatis fructu, qui mira uoluptate ſtudioſorum animos perfundere ſolet, admiranda. Vix tamen ulla, meo iudicio, inuenitur, quae et multiplicium rerum foecunditate copioſior eſt, et oblectationis magnitudine admirabilitatem maiorem facere queat, quam Antiquitatis, ut omnis, ſic Sacrae inprimis, cognitio. Etenim huius beneficio diuinio-

ris Coetus fata nouimus, rectaque priſcorum exempla, mores, inſtituta, ſacra, ceremoniae, ac diſciplinae ratio, plurimaque, notatu digniſſima, ante oculos noſtros, ut uno in conſpectu omnia uideamus, uerſantur. Inter uarios autem Ritus antiquorum Chriſtianorum non poſtremo loco commemorandae ſunt Lucernae, in defunctorum Monumentis accenſae, ac dignae mihi uiſae, quas peculiari opera, pro meo in iucundiſſimum hoc ſtudiorum genus animo, exponerem, atque illuſtrarem. Quas, tanquam lectiſſimum, ex amoeniſſimo quodam horto delibatum, floſculum, omni cum cultus, obſequiique, ſignificatione, iam TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, exhibeo, ac conſiderandas propono. Summo enim iure TIBI debentur,

quum

quum TVIS AVSPICIIS publici iuris factae sint, atque in Academia, quae de TE, RECTORE SVO, MAGNIFICENTISSIMO, immortaliter gloriatur, ac felicissimam se hoc nomine praedicat, in lucem emissae. Quamobrem non potui mihi temperare, quin Primitias hasce Academicas TIBI cumprimis inscriberem, mirifico TVO amore, ac beneuolentia, qua tuenda, fouendaque, haec studia suscipere TE, laetus audio; et singulari gratia, clementiaque, qua Patrem meum, a Magno PARENTE TVO, POTENTISSIMO SARMATARVM REGE, ATQVE ELECTORE SAXONVM, corporis sui, ac sanitatis, curae praefectum, prosequi soles; ac denique Virtutis TVAE, animique magnitudinis, cuius luculentissima, iam his annis, documenta

dediſti, admiratione permotus. In TE enim Regiarum Virtutum decora, gaudentibus omnibus, exſplendeſcunt, quae, quocunque incedis, cunctorum in TE oculos, ora, mentes, conuertunt. Hinc Saxones TVI fidiſſimi, TE, Amorem, ac Delicias ſuas, in oculis ferunt, Magnique, et inuictiſſimi, PARENTIS Heroicas uirtutes, in Tuis moribus, ſtudiiſque, expreſſas, et efformatas, contemplantur. Exteris quoque natalium Maieſtas TE commendat, qui TE Principem, magnorum Heroum ſanguine procreatum, tantique REGIS Filium, maximopere admirantur, nec coniectura aliqua ducti, ſed ſpe certiſſima freti, optima quaeque de TE ſibi pollicentur. Plurimi uero aſpectu TVO nunquam ſatiantur, magiſque TE ipſum ſuſpi-

ſuſpiciunt, quam TVVM genus, et TVAM fortunam: quippe cuius indulgentiae tantum non debes, quantum illa TIBI, qui fortunae es ornamento, TVOQVE magis nites ſplendore, quam alieno, ut Naturae quaſi manibus ad magnorum populorum, ac gentium, imperium fictus uidearis. TE denique doctorum inprimis natio maiorem in modum ueneratur, et praeclararum doctrinarum ſtudia, TE eruditos homines benigniſſime foturo, ac ſubleuaturo, egregie promotum, atque amplificatum, iri, ſperat, ac prorſus confidit. Quorum ego hac uice interpretem apud TE, PRINCEPS SERENISSIME, ago, ſperoque, fore, ut, pro TVA illa mirifice celebrata benignitate, et clementia, me haud difficulter admittas, meumque qua-

qualecunque opuſculum TVA cura, et cognitione, digneris. Velim autem, TIBI perſuadeas, me pro TVA, et totius Auguſtae Familiae TVAE, ſalute, ac Felicitate, uota quotidie facere, et praepotentem DEVM toto pectore precari, ut TE, Principem iuuentutis, TVI ſeculi, TVIQVE ordinis, longe clariſſimum, atque inter numeroſas, quas Auguſta Domus Saxonica comprehendit, imagines praefulgentem, ſaluum, ac ſoſpitem, nobis, et Eccleſiae ſuae, quam diutiſſime ſeruet, et ab iniuria temporum defenſum benigne, potenterque, tueatur. Dabam Vitembergae in Saxonibus, III. Non. Iul. A. A C. N. cIↃIↃCC X.

Pri-

Q. D. B. V.

DE

LVCERNIS VETERVM CHRISTIANORVM SEPVLCRALIBVS

DISSERTATIONIS

PRAEFATIO.

PRimum induſtriae Academicae ſpecimen, meo Marte conſcriptum, elaboratumque, in lucem, atque eruditorum hominum conſpectum, emiſſurus, de argumento ſelecto, eodemque non minus iucundo, quam fructuoſo, in quo, ad tuendum, more recepto, titulum, ac honorem, ab Ampliſſimo Philoſopho-

rum Ordine datum nuper, conceſſumque, ingenii uires periclitarer, cogitare coepi. Neque inueniendi huius cogitatio ſolicitum me diu habere potuit, propterea, quod nobiliſſimum Hiſtoriae Eccleſiaſticae ſtudium, in quod ſingulari quadam uoluntatis inclinatione propendere ſoleo, inſignem rerum, notatu digniſſimarum, copiam mihi ſuppeditaturum eſſe, facile intelligebam. Ipſa tamen argumentorum, minime uulgarium, et magno numero ſeſe offerentium, uarietas, eligendi poteſtatem, optionemque, difficilem quodammodo reddebat, adeo, ut cui, prae ceteris pertractando, manum admouerem, dubius initio, incertusque, mecum deliberarem. Commodum autem incidit, ut Doctores mei, perpetua animi religione colendi, et perſancte obſeruandi, in Scholis Eccleſiaſticis, priuatim haud ita pridem inſtitutis, et ad hunc diem uſque indefeſſo ſtudio continuatis, Veterum Chriſtianorum res geſtas, mores, et inſtituta, ſingulari fide, atque incomparabili ordine, percenſentes, uarios quoque piae, ac uenerandae, antiquitatis ritus, ſuo quoſque

loco, enumerarent, quibuſue temporibus ſinguli in Coetum, Deo coniunctum, inuecti fuerint, ex uetuſtiſſimis optimorum ſcriptorum monumentis accurate, diligenterque, commonſtrarent. Quo factum eſt, ut harum rerum cognitione mirifice delectatus, Ritum quendam, non ubiuis obuium, nec uulgo cognitum, ex locupletiſſimo Sacrae Antiquitatis aerario depromere, eundemque copioſius, pro ingenii uiribus, euoluere, atque explicare, animum confeſtim induxerim. Atque eum in finem omnis generis ſcriptores, qui in Antiquitatum ſtudio diligentiam ſuam exercuerunt, magna cum cura, nec minori attentione, legere, et peruolutare coepi: quippe quorum copiam Magnificus Praeſes, pro ſuo in me animo, affectuque prolixiſſimo, ex numeroſiſſima, quam ab Illuſtri fratre accepit, Bibliotheca, benigne, liberaliterque, mihi fecit. Forte autem fortuna euenit, ut in Veterum Chriſtianorum Luminaria et Lucernas, quarum apud omnes gentes uarius, multiplexque, uſus omni tempore fuiſſe, perhibetur, inciderem, nec pauca, lectu haud iniu-

 cunda,

cunda, de iiſdem, a diuerſis ſcriptoribus, memoriae, ac literis, mandata, animaduerterem iuxta, atque obſeruarem. Quae dum diligentius paulo examinaui, et ſemel, iterumque, ac ſaepius, legendo percucurri, Lucernas, a Profanis ceteroquin, ac praecipue Romanis, haud raro in nobilium ſepulcris collocatas, in Chriſtianorum quoque monumentis nonnunquam repertas fuiſſe, deprehendi. Conſilium itaque cepi, de LVCERNIS VETERVM CHRISTIANORVM SEPVLCRALIBVS fuſius, accuratiuſue, diſſerendi, propterea, quod materiam hanc, intactam fere relictam, atque a nemine, quod ſciam, ex inſtituto expoſitam, et pro eo, ac par erat, ſingulari ſcripto excultam, amplificatamque, fuiſſe, uiderem. Quo in propoſito maiorem in modum confirmatus ſum, quum Berolini nuper uerſarer, ibique Bellorianum Romanarum, aliarumque, Antiquitatum Theſaurum, Regiis ſumptibus, maiore ex parte, Romae comparatum, atque in principem Vrbem, quam uel ex hoc capite Marchiae Brandenburgicae Romam iure meritoque dixeris, auſpiciis Potentiſſimi Boruſſorum Regis, feliciſſime translatum, oculis meis diutius uſurpandi facultas, ex animi ſententia, daretur. Qui enim pretioſiſſimae huic ſupellectili praeeſt, Excellentiſſimus,

mus, atque Eruditissimus Vir, IOANNES CAROLVS SCHOTTVS, Consiliarius Regius ab Antiquitatibus, et Re Libraria, Regiaeque, quae Berolini floret, scientiarum sodalitatis Consors, summam non modo humanitatem, ac beneuolentiam, testatam mihi fecit, sed et reconditum, quem Cimeliarchium Regium seruat, thesaurum beneuole, ut eius fert consuetudo, aperuit, atque inter alia, et pulcherrima, eademque perrara, uetustatis ornamenta, Romanorum Heroum statuas, et imagines, artificiosissime expressas, numos, Deorumque, a Gentilibus confictorum, simulacra, Lucernas etiam Veterum Sepulcrales, multo elegantissimas, conspiciendas mecum communicauit. Vehementer autem laetatus sum, quum illas inter unam, alteramque, in manus sumerem, quas in antiquis Christianorum sepulcris inuentas fuisse, ex indiciis haud obscuris, minimeque fallentibus, monitore, ac praemonstratore, Celeberrimo SCHOTTO, cognoui, penitusque perspexi. Quod beneficium grata mente hic publice praedico, atque in eo non exiguam felicitatis meae partem sitam esse, arbitror, eoque nomine sempiternum me clarissimi Viri profiteor debitorem. Atque haec fere sunt, quae de scribendi occasione praefari uolui, longiori uerborum

borum circuitu Beneuolum Lectorem non moraturus. Quae uero de tractandi modo, atque ordine, hoc loco moneri solent, et a quibusdam, praeter morem, ac consuetudinem, a plurimis, qui libellis suis nonnihil praefati sunt, receptam, a me neglecta, hic forsitan desiderabuntur, ea in ipsius principio Dissertationis suppleta, ibique multo commodius indicari potuisse, uisa mihi fuerunt. Quamobrem aequum, et cordatum, Lectorem eo remitto, neque opus, ut opinor, erit, ut eadem semel, iterumque, repetantur. Illud tamen silentio praetermittere nequeo, in eruendis Ecclesiasticae Antiquitatis Ritibus, eadem diligentia in posterum me perrecturum, aliosque, post alios, si uitam, ac uires, propitium NVMEN concesserit, esse illustraturum. Spero enim, fore, ut, facta iam mihi a Sapientissimo Ordine potestate, superiorem Cathedram propediem conscendam, atque de Epulis Veterum Christianorum Sepulcralibus, *ex profana superstitione originem trahentibus, singulari ipse Praeses Exercitatione agam, quam postmodum aliae haud dissimilis argumenti suo tempore sunt insequuturae. Ceterum laeto nunc, alacrique, animo ad ipsum negotium aggressurus, DEVM immortalem intimis animi sensibus ueneror, ut gratia sua mihi aspiret, coeptumque, atque, aeterni NVMINIS auspiciis, ad optatum exitum perducendum, laborem perbenigne fortunet.*

§. I.

§. I

QVod igitur bonum, fauſtum, felix, fortunatumque ſit, ut antiqui omnibus rebus agendis, teſte CICERONE, *de Diuinatione, L. 1. c. 45*, pie, laudabiliterque, praefari ſolebant, LUCERNARVM VETERVM CHRISTIANORVM SEPVLCRALIVM tractationem ſuſcepturus, de inſtituti ratione, ac methodo, quam ſequi hic uelim, nonnulla, in gratiam eorum, qui dicendorum ſeriem, ut, uno ueluti aſpectu, in ea intueri poſſint, ſibi ante oculos ſtatui, a me forte deſiderauerint, praemonenda duxi. Etenim primum omnium de *titulo*, atque *inſcriptione*, Diſſertationis agendum erit, ut, quid Lucernarum nomine apud bonos Auctores ueniat, quamque in praeſenti poteſtatem, probatorum ſcriptorum ueſtigia ſequutus, huic uoci attributam uelim, eo promptius, faciliuſque, intelligatur. Quo facto, in Originem Lucernarum Sepulcralium, quibus, priſcis naſcentis *Eccleſiae* temporibus, CHRISTI ſacris initiati, defunctorum tumulos exornare conſueuerunt, al-

tius inquirere animus eſt, ita quidem, ut, a quibus hic mos primum uſurpatus ſit, et qua ratione ad *Chriſtianos* tranſierit, ſolicite perquiram, omnique, qua fieri par eſt, diligentia, ex indubitatis ueterum ſcriptorum monumentis, oſtendam. Tum uero praecipuas, quas indagare mihi licuit, cauſas, quibus homines, CHRISTI ſacris dediti, inducti, fidei ſuae ſociorum ſepulcra lucernis quondam decorarunt, percenſebo, quaeque ipſorum de hoc ritu mens, ac ſententia, fuerit, quantum coniectura aſſequi potero, breuiter, ſtrictimque, exponam. Poſtremo autem Lucernarum quarundam Sepulcralium, quibus *Chriſtiani* uſi, et quae mihi memoratu digniores uiſae fuerunt, deſcriptionem ſubiungam, atque, ubi hodieque aſſeruentur, minime praetermittam. Atque haec omnia plane, et perſpicue, tradam, ordinatimque commemorabo, meumque qualemcunque laborem beneuolis, et ſacrarum Antiquitatum ſtudioſis, lectoribus, iiſdemque idoneis harum rerum exiſtimatoribus, non omnino ingratum fore, ſpero, ac prorſus confido.

§. II.

Quibus praeſtructis, leges, quas ipſe mihi praeſcripſi, nunc poſtulant, ut de Lucernarum ſignificatione quaedam adiiciam, et quae uis uocis ſit, paucis declarem. Quum uero *omnis, quae de re aliqua ſuſcipiatur, inſtitutio, debeat a definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur*, iuxta grauiſſimam M. TVLLII ſententiam, *L. I. c. I. de Offic.* breuem, ſufficientem tamen, niſi fallor, *Lucernae* deſcriptionem ſubminiſtrabo. Pla„cet igitur eam appellare uaſculum, uel ex metallo, „uel lapide, et terra cocta, ſimiliue materia, confectum,

uariis

„uariis formis, ac figuris, gaudens, oleo plerumque, el-
„lychnii ope, ardens, ita, ut uicina loca ſua luce comple-
„at, lumenque, ex eo effulgens, libere conſpiciatur.
Quae definitio plenior, perfectiorque, ea, quam FORTVNIVS LICETVS habet, mihi uidetur. Huic enim Lucerna *Vas* audit, *in quo ſine tegmine, uelamentoue, lux immediate uiſitur effulgere, deque ſe lumen effundere protinus in aera circumfluum. De Recond. Antiqu. Lucernis. L. VI. c. 126. p. 1266.* LICETVM exſcripſit Io. IAC. HOFFMANNVS, *Lexic. Vniuerſ. V.* LVCERNA. Differt autem quam maxime, ſi rectius loqui uelimus, *a Laterna*, quae *uas eſt, intra quod lux ueluti latet clauſa, ſeu lamina cornea, ſeu tenui pelle, ſeu tela linea, ſeu charta; ſolumque e luce ſplendor luminis foras per inadſpectabiles poros emicat in aerem ambientem.* LICETVS *l. c.* Quod diſcrimen non animaduertit IVLIVS POLLVX, neque cum Veteribus Latii ſcriptoribus, quorum auctoritate hac in re niti, ac tueri ſe, nequit, Laternam a Lucerna ſatis accurate diſtinxit. *Vid. Onomaſt. L. X. c. 28. Edit. nouiſſimae, a V. C.* TIBERIO HEMSTERHVISIO, *Philoſ. & Matheſ. in Gymnaſio Amſtelodamenſi Doctore publico, procuratae, Amſtelodami A. CIↃ IↃ CC VI.* Quanquam inficias ire nolim, latinae uocis, *Laternae*, ſignificatum multo ampliorem fuiſſe, ac focos etiam minores, in conclauibus, ad illuminandum ea, altius olim exaedificari ſolitos, *Laternarum* nomine eſſe inſignitos. Quam in rem legi meretur Vir ſummus, Is. CASAVBONVS, *Animaduerſ. in* ATHENAEVM, *L. XV. c. 18.* Graecis autem Lucerna λύχνος, itemque λαμπὰς, dicitur, quibuscum uocabulum φανὸς, ſeu πανὸς, pariter incedit. *Veteres* enim *Athenienſes*, quae erudita CASAVBONI obſeruatio eſt, *appellabant* φανὸς, *quas uulgus Graecorum* λαμ-

πάδας, *ut etiam* POLLVX *innuit. At posterior aetas* Φανὺς *nuncupauit, quas Athenienses* λυχνύχους, *&* M. TVLLIVS *etiam, eumque sequutus* SVETONIVS, *Lychnuchos. l. c. p. 990.* De *Lychno* denique obseruo, a purioris Graeciae Scriptoribus Lucernam hac uoce plerumque expressam fuisse. Hinc etiam HOFFMANNVS, in *Lexico* H. V. scribit, Lychnos a taedis et cereis clare distingui, iisque nec ceram, nec seuum, nec picem, sed oleum tantum, arsisse, pronunciat. Cui contradicit ONVPHRIVS PANVINIVS, hunc in modum ea de re differens: *Non ex oleo Lychnus accensus semper, quum taedam significare queat. Lychnuchus uero accipitur etiam pro* Φανῷ. Φανὸς *siquidem est* Φανάριον: farale *dicunt Veneti, apud quos Graecorum uicina natio plures iniecit uoces. Illud uero non ex candela tantum, aut oleo ignito, sed ex contuso fusto, piceque illito, manipuloue cannarum, aridaeue alterius materiae, praeparabatur. Lychnus itaque apud bonos auctores Graecos non semper uasculum oleo ardens, quod lucernam uulgo appellamus, significat. L. II. c. 3. de Ludis Circensibus, apud* GRAEVIVM, *Tom. IX. Thes. Antiqu. Rom. p. 390. seqq.* Plura de uocum potestate non cumulo, neque cognatas alias in praesenti refero, sed cupidum harum rerum lectorem ad *Lexicographos*, et *Etymologicos* scriptores, ex parte iam memoratos, remitto. Reliqua etiam uocabula, quorum inscriptio Dissertationis mentionem facit, consulto praetermitto, propterea, quod nulla obscuritate laborent, et a quouis facillime intelligantur.

§. III.

Ad *Originem* uero Lucernarum Sepulcralium quod attinet, longius paulo haec repetenda erit, et, qui primi earundem inuentores extiterint, paucis dispiciendum.

Vete-

Veterum igitur Scriptorum monumenta, quae conſulendi, inſpiciendique, facultatem nactus ſum, peruoluenti, ſtatim mihi ſeſe obtulerunt Aegyptii, qui non ſolum plurimarum rerum memorabilium auctores nominantur; ſed et LVCERNARVM omnium, atque inter has ſigillatim SEPVLCRALIVM quoque, inuentarum gloria paſſim illis adſcribitur, et forſitan haud immerito uindicatur. Id enim conceptis uerbis teſtatur CLEMENS ALEXANDRINVS: Αἰγύπτιοι, inquiens, λύχνους καύειν πρῶτοι κατέδειξαν, *Aegyptii primi Lucernas accendere docuerunt. Strom. Lib. I. pag. 306. Edit. Pariſ. Anno* ciɔ ɔC XLI. Cuius uerba repetit EVSEBIVS, Caeſarienſis Antiſtes, *Praep. Evang. L. X. c. 6.* non autem *Cap. 2.* ut refert LICETVS, *de Recond. Antiqu. Lucernis, p. 848.* & qui hunc ſequutus uidetur, HOFFMANNVS, *in Lex. V.* LVCERNA. *Add.* POLYDORVS VERGILIVS, *de Inuent. Rerum, L. II. c. 19.* BARONIVS, *Annal. Eccleſ. T. I. p. 547. Edit. Plantinianae.* CASAVBONVS, *in Athen. L. XV. c. 20.* In cuius rei memoriam anniuerſarium Aegyptii Sacrum, quod, a Lucernis cognominatum, *Accenſionem Lucernarum*, Graece λυχνοκαΐην, dixerunt, totaque regione celeberrimum fuit, quotannis celebraſſe, perhibentur, teſte HERODOTO, *Hiſt. L. II. p. 127. Edit. Pariſ. ab* HENRICO STEPHANO *procuratae, A.* ciɔ ɔ xcii. Sed enim uero aliam memoratae ceremoniae cauſam, cladem uidelicet, Aegyptiorum filiis, natu maioribus, ab Angelo uindice, iuſſu Dei, illatam, ſubfuiſſe, putat LICETVS, *l. c. pag. 1117, 1118.* ex eoque HOFFMANNVS, *l. c.* IO. BAPTISTA CASALIVS, *de Veteribus Aegyptiorum Ritibus, Cap. 25.* et qui primo loco nominandus erat, ATHANASIVS KIRCHERVS, Loiolitici ordinis ſacerdos, *Oedip. Aegypt. T. III. p. 531. ſqq.*

§. IV.

Quicquid huius sit, de Lucernis Sepulcralibus certum, compertumque, habeo, eas ab Aegyptiis primum fuisse usurpatas. Etenim HERODOTVS, scriptor antiquissimus, locuples auctor est, Mycerinum, Aegyptiorum Regem, iustitiae, et clementiae, laude apud suos percelebratum, unicae, quae superstes ipsi fuerat, filiae praematurum ex hac uita excessum adeo grauiter tulisse, ut nouo, et excellentiori, sepulturae genere, quo eo testatior esset multorum oculis affectus paternus, illam honorari, curarit. Nominatim uero, funebrem describens pompam, Lucernae meminit, eandemque ad latus defunctae tota nocte arsisse, asseuerat. Inter alia enim haec refert: νύκτα δὲ ἑκάστην πάννυχος λύχνος παραπαίεται: *noctibus perpetuo incensa lucerna adstat, in Euterpe, p. 157.* Qua in re merito ipsi adstipulamur, quum celebre istud regiae filiae monumentum sua adhuc aetate durasse, atque in urbe Sai, in exornato arcis conclaui, seruatum, uisum a se fuisse, palam, atque aperte, fateatur. Floruit autem nobilis ille Historicus Anno primo Olympiadis LXXXIV, siue ante C. N. CCCCXLIV, quo historiam suam condidisse dicitur, semperque illa, quae ipse cognita probe, ac perspecta, habuit, sedulo distinxit ab iis, quae fando audiuit, quaeque aliena fide in Commentarios suos, atque ex his in Historiarum libros translata, literis consignauit. Itaque non uideo causam, quamobrem OCTAVIVS FERRARIVS, Vir Doctissimus, *nullum ueterum scriptorum lucernarum sepulcralium meminisse*, easque a DIONE CASSIO, *in Domitiano, demum commemoratas* fuisse, fidenter nimis pronunciarit. *Vid. Dissertatio*

eius

eius de Veterum Lucernis Sepulcralibus, quae extat apud GRAEVIVM, *Tom. XII. Thes. Antiqu. Roman. p. 1013.*

§. V.

Quod ut luce meridiana clarius fiat, omnisque, quae forte remaneri posset, dubitatio tollatur, ad duos cumprimis recentiorum temporum scriptores, fide maximoperè dignos, prouocabo, quos HERODOTO iungam, eorumque testimonio, et confirmatione, totum hoc negotium conficiam. Alter est TITVS LIVIVS BVRRATTINVS, Poloniae Regis *Architectus*, gente Italus, atque Aegyptiarum Antiquitatum curiosus indagator: alter uero MICHAEL SCHATTA, Aegyptius Coptita, et patriarum rerum apprime gnarus. Ille enim, quum peregrinandi causa in Aegypto uersaretur, in subterranea loca, in quibus exsiccata, et certa ratione condita, omnisque corruptionis expertia, Veterum Aegyptiorum cadauera, quae Persica uoce *Mumias*, toto orbe celeberrimas, uocant, reposita quondam fuerant, ipse descendit, et, quae in illis, notatu digna, deprehendere potuit, singulari studio obseruauit pariter, ac cum celeberrimo KIRCHERO, scriptis ad hunc uernaculo sermone literis, communicauit. In his igitur Lucernarum Sepulcralium mentionem nominatim iniecit, ad Patrem Ignatianum hoc modo scribens: *In queste cave si trovano ancora gran quantità di vasi di creta cotta, fatti in guisa di lucerne; mà capaci alcuni di quattro, et altri di sei, otto, e dodici stuppini: Li quali dicono li Arabi, che erano lumi perpetui, mà io credo, che fossero lumi ordinarii, poiche tutte le cave sono nella volta affumate. Affermano però li Arabi, di ritrovare spesse volte di detti lumi perpetui, quando s' aprono li sepolcri nuovi: mà non havendone io mai veduto, non posso affermare*

cosa

„*cosa nissuna.* Quae sic Latine reddo: In hisce Cryptis „ingens adhuc multitudo uasculorum, ex terra cocta „confectorum, atque in modum Lucernae efformato„rum, inuenitur: in quorum aliquibus quatuor, in non„nullis sex, in aliis octo, atque etiam duodecim, ellych„nia conspiciuntur. De quibus Arabes dicunt, quod „luce perpetua fulserint: ego autem credo, ordinarium „in modum eas arsisse, propterea, quod loca ista absconn„dita densissimo fumo obducta ferme fuerunt. Nihi„lominus tamen Arabes, se memoratas Lucernas, per„petuo ardentes, quum nouum huiusmodi sepulcrum „aperuissent, saepius reperisse, contendunt. Verum, „quum eas nunquam oculis meis usurparim, certi quic„quam hac de re asserere, eiusdemque causas dare, non „possum. Cum quibus egregie conspirant, quae testis alter oculatus, MICHAEL SCHATTA, literis Arabicis ad KIRCHERVM perscripsit: *Scias*, inquit ille, KIRCHERO interprete, *quoque Pater, quod in Cryptis subterraneis Memphis antiquae iuueni multas lucernas, quarum aliquae tres, aliae quatuor, octo, aut duodecim, lychnos habebant, in similitudinem Canis, Hominis, Tauri, Accipitris, et Serpentis, effigiatas, et cetera similia hisce, uti uides ex figura, quam misi ad te*, apud KIRCHERVM, *l. c. p. 544.* Quorsum etiam spectat elegantissima Lucerna Δωδεκάλυχνος, in deserto, arenosoque, & xx. lapide a Cairo distante, loco, *Mumiarum* monumentis consecrato, A. superioris seculi XXXIX. ab Arabibus inuenta, atque a Franciscani ordinis *Monacho* Patauium translata, & Sertorio Vrsatto, Patricio Patauino, donata, quam speciem prae se duarum rostratarum nauium, remigibus instructarum, ferentem, exhibet perinde, ac felicissime explicat LICETVS. *l. c. p. 874. seq.*

§. VI.

§. VI.

Aſt enim uero non ignoro, plurimos eſſe, qui, hac etiam in re, pro Ebraeis propugnant, atque, ut pleraque alia, ita et Lucernarum uſum, Aegyptios ab illis accepiſſe, ſibi perſuadent. Qui quidem ſuo non deſtituuntur fundamento, quum a KIRCHERO, Aegyptios, ſi non omnia, pleraque tamen, ab Ebraeorum gente mutuo ſumpſiſſe, aliiſque, et aliis, fabulis, ac commentis, deprauata, ſui iuris feciſſe, in eruditiſſimo, quod *Oedipum Aegyptiacum* nuncupauit, opere paſſim, et luculenter, ſit oſtenſum. Inprimis autem multi credunt, Ebraeos, diuinis rebus operantes, Lucernas primum accendere conſueuiſſe, eumque morem Aegyptios ab illis didiciſſe, atque in cultu ſuo religioſo imitatos eſſe. Quam in rem praeclare diſſerit HERMANNVS VVITSIVS, Vir magni iudicii, ac multae lectionis: LVCERNARVM, inquiens, *in ſacris ſuis, et feſtis, etiam claro die, quam frequens multis gentibus uſus fuerit, ex Lipſio diſcere eſt, et copioſius ex Fortunio Liceto, in excellentiſſimo opere de Lucernis Veterum. Earum prima ad Religionem accenſio, utrum Hebraeis debeatur, an Aegyptiis, haud facile dixero. Fortaſſe utriſque eſt antiquior. Hebraeis ſuis Ioſephus attribuit: Aegyptiis Clemens Alexandrinus. Aegyptiac, L. II, c. 16. §. 17.* Cui controuerſiae iam me immiſcere nolo, hoc magis, quod de Lucernis generatim diſceptetur, neque Sepulcralium origo, quam hoc loco praecipue attendo, ex inſtituto in controuerſiam uocetur. De his enim aſſeuerare nullus dubito, quin ab Aegyptiis ad alias peruenerint nationes, propterea, quod, in Iudaeorum Sepulcris, ſatis magnifice alioquin exſtructis, huiusmodi Lucernas re-

pertas fuiſſe, nullibi, licet omnem adhibuerim diligentiam, legi, ac deprehendi.

§. VII.

Vindicata igitur Aegyptiis Lucernarum Sepulcralium origine, nunc porro diſquirendum eſt, quomodo hic ritus longius propagatus ſit, atque ad alias nationes inſequentibus temporibus traductus. Atque hic praeceteris commemorandi ſunt Graeci, qui, uti magnam ſapientiae ſuae partem Aegyptiis debuerunt; ita et uarios Ritus, et inter hos etiam Lucernas, ab iſtis acceperunt, atque in uſus ſuos conuerterunt. Quod nemini obſcurum eſſe poterit, cui utriuſque gentis placita, ac ceremonias, numero non paucas, attentius paulo conſiderare, Graecaque cum Aegyptiis diligentius conferre, placuerit. Quicquid enim Graecorum magiſtri, Sapientum nomine clari, bonae frugis habuerunt, id ab Aegyptiis profectum eſſe, doctiſſimi Viri concordibus ſententiis confirmant. Teſtem huius rei excito celeberrimum, longeque eruditiſſimum, Virum, IOANNEM FRANCISCVM BVDDEVM, *Theologum* Ienenſem, *Diſſ. de Ethica Thaletis Mileſii, Halae A. cIↃ IↃ C XCIX. in lucem emiſſa §. II.* Praecipue uero, ne longius a propoſito digrediar, in ſacris Lucernas adhibuerunt Graeci, neque exiguam religioſi cultus partem in iiſdem conſiſtere, cum Aegyptiis exiſtimarunt. Quod ne fruſtra aſſeruiſſe uidear, exempli cauſa Lucernam auream, Mineruae Athenis conſecratam, nomino, quae tota Graecia celeberrima fuit, dieſque, ac noctes, in honorem Deae accenſa, arcem perpetua luce colluſtrauit. Qua de iuuat conſulere PAVSANIAM, *in Atticis*, cuius uerba repetit LICETVS, *l. c. p. 10.* Hinc ARNOBIVS *Adverſ. Gentes*

tes L. IV. MINERVAM *Luminis miniſtram, & Lucernarum modulatricem*, uocat, propterea, quod apud HOMERVM, praeluxiſſe aureum Lychnum Vlyſſi, filioque Telemacho, narratur. Vid. PETRVS LA SEINE, *de Homeri Nepenthe, P. I. p. 1347, apud* GRONOVIVM, *Tom. XI. Antiqu. Graec.* Neque uero re ipſa hic diſſentit CASAVBONVS, quum *Lampadum et uſum, et nomen, a Syris accepiſſe Graecos, quod λαμπὰς ſit Ebraeorum* לפיד, ſcribit. *Animadu. in Athen. p. 996.* Syrorum enim nomine Iudaei apud profanos ſcriptores ſaepiſſime ueniunt, quod MEGASTHENIS Hiſtorici, uetuſtiſſimi ſcriptoris, teſtimonio comprobare poſſum, apud CLEM. AL. *Strom. L. I.* et EVSEB. *Praep. Euang. l. IX. c. 6. Conf.* VVITSIVS, *Aegypt. L. I. c. 13. §. 2.* Iudaeos autem Lucernas uel ab Aegyptiis habuiſſe, uel hos ab illis eaſdem mutuatas eſſe, quod magis ad uerum mihi accedere uidetur, inter omnes conſtat.

§. VIII.

Sed enim uero maior adhuc de Lucernis Sepulcralibus occurrit difficultas, atque an frequentior earum in ueteri Graecia uſus fuerit, dubio non caret. Mihi certe non licuit tam eſſe felici, ut huiuſmodi Lucernam, ab antiquitatum ſcriptoribus, quorum non paucos in conſilium uocaui, memoratam, indagare potuiſſem. LICETVS enim, qui omnes, quas reperire potuit, ſingulari induſtria collegit, et recenſuit, Lucernarum, e Graecorum monumentis depromptarum, nullam ſuppeditauit. Equidem ſi meam qualemcunque hac in re ſententiam interponere fas ſit, exiſtimauerim, Graecos illis forte non caruiſſe. Non enim mihi fit ueriſimile, gentem, uanitatibus, et ſuperſtitionibus, non mediocriter addictam, ritum hunc prorſus neglexiſſe, propterea,

quod defunctorum corpora, siue integra, siue in cineres, et ossa, redacta, apud Graecos in ὑπογαίοις, et probe excauatis, adeoque maxime idoneis, locis, quae tales caperent lucernas, reposita, terraeque mandata, fuerunt. Ex Petronio certe id confirmat Io. ARGOLVS, *Not. in* ONVPH. PANVIN. *de Ludis Circ. Tom. IX. Thes. Antiqu. Rom. pag. 390.* quem uide.

§. IX.

Quod uero OCTAVIVS FERRARIVS, Humaniorum literarum in Patauina Venetorum Academia Doctor publicus, eruditionis fama aetate sua celebratissimus, scripsit, Graecos, cum plerisque aliis gentibus, defunctorum corpora terrae mandasse, siue aggesta humo contumulasse, et antiquissimos tantum, quorum HOMERVS meminerit, mortuos combussisse; in eo aperte falsus est, atque a uero mirum quantum aberrauit. Vid. *Diss. de Lucernis Vet. Sepulcral. p. 1013. apud* GRAEVIVM, *Tom. XII. Thes. Antiqu. Rom.* Namque et *Humationem*, et *Cremationem*, Graecis concessam, atque inprimis ab Athenienssibus utrumque sepeliendi morem usurpatum fuisse, lego. Testis sit, omni exceptione maior, diuinus PLATO, qui in *Phaedone* suo Socratem, uenenum hausturum, sequentem in modum uerba facientem, introducit: Ινα Κρίτων ῥᾷον φέρῃ, ἢν μὴ ὁρῶν μου τὸ σῶμα ἢ καιόμενον, ἢ κατορυττόμενον, ἀγανακτῇ ὑπὲρ ἐμοῦ, ὡς δεινὰ ἄττα πασχόμενου. Quae ita explico: *Vt Criton facilius ferat, nec, uidens corpus meum, siue combustum, seu terra obrutum, uehementioris doloris sensu afficiatur, quasi acerba quaedam perpessus fuerim.* Plura, fideique minime dubiae, scriptorum testimonia cumulauit KIRCHMANNVS, in pererudito, quem de *Funere Romanorum* inscripsit, Libello, *pag. 2. seqq.* ubi ita concludit: *Ex dictis igitur liquet*,

liquet, et Combuſtionis, et Humationis, morem apud Graecos obtinuiſſe, nec introducto uno, exoleuiſſe alterum, ſed remanſiſſe utrumque, aliis hunc, aliis iſtum, uſurpantibus, pro cuiuſque arbitrio, opinor, et uoluntate. p. 4. Ceterum nihil hic de Lucernis Graecorum Sepulcralibus, quae rariores utique ſunt, definire, aut temere affirmare uolo, uſque dum certiora documenta, alia occaſione proferenda, mihi praebeantur. Interea uero peritiorum arbitrio haec permitto, et ſi quaedam, huc pertinentia, in Antiquitatum Graecarum lectione obſeruauerint, eorum ut me participem reddere, ne dedignentur; etiam atque etiam, et uehementer, rogo.

§. X.

Quapropter, miſſis Graecis, ad Romanos progredior, in quorum ſepulcris lucernas haud raro inuentas fuiſſe, atque etiamnum ex iiſdem ſubinde effodi, nemini, in Antiquitatibus Romanis uel mediocriter uerſato, ignotum eſſe, credo. Inſtructiſſima enim Regum, Principumue, et aliorum quoque, qui nullis ſumptibus in comparando uetuſtiſſimarum rerum theſauro parcere ſolent, Muſea pretioſis hiſce antiqui Funeris Romani reliquiis refertiſſima ſunt, quas omnes, qui iucundo Antiquitatis ſtudio tenentur, ſumma cum uoluptate conſpiciunt, uehementerque iiſdem delectantur. Quae inter non poſtremo loco commemorandum cenſeo Brandenburgicum, Berolini adornatum: quippe quod, inſigni harum rerum copia conſpicuum, uarias quoque Lucernas Romanorum Sepulcrales exhibet, quae una cum urnis, uaſiſque uitreis, Lacrymarum olim plenis, et reliquis, ad funus pertinentibus, in Conclaui *Funerario*, quo nomine ab aliis diſtinguitur, a V. C. et commemorabili humanitate,

ac doctrina, praedito, Io. CAROLO SCHOTTO, commonstratae mihi nuper fuerunt. Atque hae omnium notissimae sunt, tantusque earum numerus habetur, ut integri libri illarum enumeratione, atque interpretatione, compleri possent. Quod etiam prae ceteris, qui dictas Lucernas, ubi commodum inciderunt, illustrandas sibi sumpsere, ex instituto praestitit diligentissimus Antiquitatum scrutator, LAVRENTIVS BEGERVS, doctissimi SCHOTTI auunculus, iisdemque, quibus iste hodie summa cum laude praeest, muneribus splendidissimis apud Serenissimum Electorem Brandenburgicum, Borussiaeque Regem, antea perfunctus. Extat enim inter scripta eius complura praestantissimum opus, de *Lucernis Sepulcralibus* conscriptum, et publici iuris factum, Berolini A. CIↃ IↃ CCII. Quae quum ita sint, recte pronunciat KIRCHMANNVS, se *certo scire, in cippis sepulcrorum semper fuisse suspensas Lucernas, cujusmodi fictiles, multae maiorum nostrorum aeuo ex ueteribus monumentis erutae fuissent. L. IV. c. 4. de Fun. Rom.*

§. XI.

Ante uero, quam ad Christianorum Lucernas pergam, OCTAVII FERRARII sententiam, quam de Lucernarum Romanorum Sepulcralium ortu, ac uetustate, fouet, hoc loco examinare, et, quo fundamento nitatur, penitius paulo considerare, a proposito forte non erit alienum. Ille enim Romanorum Sepulcra, priscis ante C. N. temporibus, Lucernis destituta fuisse, existimat, propterea, quod Quirites cadauera sua combusserint, cauernasque subterraneas, quae istiusmodi Lucernas recipere potuissent, prorsus ignorarint. Quum uero dissertatio eius de *Vet. Luc. Sepulcr.* rarior sit, ac Graeuianus

Ro-

Romanarum Antiquitatum Thesaurus, in quo illa continetur, a pauciſſimis comparari queat, uerba ipſius, utut longiora, bona fide huc tranſcribere, atque in medium proferre, non pigebit. Quod eo potiſſimum ſpectabit, ut quiuis intelligat, ſincere me cum Auctore egiſſe, nec aliena, quae ipſi nunquam in mentem uenerint, illi affinxiſſe. Non parum enim intereſt, ut candide omnia referantur, quo examen de iis accuratius inſtitui, et iudicium prudentius, atque ſincerius, formari queat. Audiatur ergo FERRARIVS ipſe, haec ſcribens: *Morem ſtatuendi Lucernas in Sepulcris, non eſſe ita antiquum, ut iſti credunt, perſuaſum habeo, nec niſi poſt multa ſecula, ſcilicet poſtquam cadauera cremari deſierunt, inuectum. Quod ut clarius intelligatur, paulo ſupra repetenda ſunt, quae de ratione Sepulcrorum a Viris doctiſſimis tradita ſunt. Duplex populorum, ac gentium, circa mortalitatis ſuprema, mos, atque officium fuit. Nam pars maior nationum, Aegyptii, Hebraei, Graeci, ac reliquae ferme gentes, cadauera condebant, hoc eſt, terrae mandabant, ſiue aggeſta humo contumulabant. Soli Romani mortuorum cadauera cremabant. Romani inquam, poſtquam rogi incendio cadauera confecerant, reliquias, hoc eſt, cinerum, atque oſſium, fragmina, e rogo lecta, in urnam coniiciebant, lapide ſupra tumulum erecto, qui cippus dicebatur. Quae res indicare uidetur, quamdiu hic mos uiguerit, nullum Lucernis locum eſſe potuiſſe. Nullae enim ſpeluncae ſubterraneae, cryptae, cauernae, ſiue hypogaea, fuere, qualia noſtra ſunt, et fuere monumenta earum gentium, quae corpora condebant, non cremabant. Quam cauſam fuiſſe puto, quod nullus ueterum ſcriptorum Lucernarum Sepulcralium meminerit. Niſi quod Dio in* Domitiano, *quum feralem ludum commemorat, quo ille conuiuas excepit, ait.* Ac primum omnium iuxta unumquemque columnam collocat

cat (σήλην ταφρικήν, cippum Sepulcralem) in qua nomen eius scriptum erat, pendebatque de ea Lychnuchus paruus, ut assolet in monumentis. *Sed ille Lychnuchus non in monumento erat; uerum de cippo pendebat. Nullae cryptae, speluncae, et concamerationes, sed urnae, terra obrutae, et ita nullus Lucernis locus.* Hactenus FERRARIVS. *Thes. Antiqu. Rom. Tom. XII. p. 1013.* Atque hinc ad illorum opinionem, qui altero demum post C. N. Seculo, Antoninis imperantibus, inueteratum, mortuos cremandi, morem paullatim in desuetudinem abiisse, eodemque tempore Lucernas Sepulcrales a Romanis crebrius usurpari coepisse, existimant, propius accedere uidetur. Paucis enim interiectis, ita pergit: *Ceterum quandonam cadauera cremari desierint, et hypogaea, et conditoria, Graecorum more inuenta sint, et propterea frequentior Lucernarum usus, incertum est. Quanquam uiri docti id sub extrema Antoninorum tempora coniiciant, quibus non repugnauerim. loc. cit. p. 1014.*

§. XII.

Quantum igitur ex hisce perspicere possum, FERRARIVS sententiae suae, qua pro recentiori Lucernarum Romanae gentis Sepulcralium origine propugnat, praesidium in hoc potissimum se inuenisse putat, quod Romani, defunctorum cadaueribus igni antiquitus traditis, ab humandi more, et capaciorum exstructione monumentorum, fere abhorruerint, exiguo spatio, in quo urnae collocarentur, contenti. At enim uero hac in re uehementer fallitur, quum utroque sepulturae genere usi fuerint, licet alter, igni cremandi ritus, magis inualuerit: quod perlibenter concedo, atque etiam ultro confiteor. A priori tamen, humandi scilicet consuetudine, non prorsus abstinuerunt; sed saepius eandem receperunt, et aliquantisper seruarunt. Quod uno altero-

alteroue, teſtimonio, ac documento, quod a nemine in dubium uocari poterit, comprobare allaborabo. De Numa enim Pompilio, ſecundo Romanorum Rege, PLVTARCHVS, ſcriptor grauiſſimus, teſtatur, ipſum teſtamento praecepiſſe, ut corpus ſuum, flammis ereptum, terrae mandaretur. Πυρὶ μὲν, PLVTARCHI uerba recito, ϰὴ ἔδοσαν τὸν νεϰρὸν, αὐτῷ ϰωλύσαντος, ὡς λέγεται. Δύο γὰρ ποιησάμενοι λιθίνας σορὰς, ὑπὸ τὸν Ιάνιϰλον ἔθηϰαν. τὴν μὲν ἑτέραν ἔχουσαν τὸ σῶμα, τὴν δὲ ἑτέραν τὰς ἱερὰς βίβλους. h. e. *corpus ex praecepto eius, ut fama eſt, non cremauerunt: uerum duas arcas lapideas fecerunt, quas condiderunt ſub Ianiculo. Quarum in una cadauer eius poſitum fuit; in altera Libri ſacri. Vid.* PLVTARCHVS *in Numa, Tom. I. Opp. pag. 74. Edit. Rualdinae, Pariſ. A.CIↃ IↃ C XXIV.* Deinde inſignis hanc in rem locus extat apud CICERONEM, ex quo luculenter conſtat, priſcos Romanos *Humationi* etiam aſuetos fuiſſe, adeo, ut ſplendidiſſimis familiis hoc ſepulturae genus proprium initio, perpetuumque, fuerit. Sigillatim uero in Cornelia gente eam obtinuiſſe, et ad ſuam uſque memoriam perduraſſe, clariſſimis uerbis ſcribit. *Mihi quidem*, inquiens, *antiquiſſimum ſepulturae genus id fuiſſe uidetur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terrae corpus, et ita locatum, ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo ſepulcro, quod procul ad Fontis aras, Regem noſtrum Numam conditum, accepimus: gentemque Corneliam, uſque ad memoriam noſtram, hac ſepultura ſcimus eſſe uſam. C. Marii ſitas reliquias apud Anienem diſſipari iuſſit Sulla uictor, acerbiore odio incitatus, quam ſi tam ſapiens fuiſſet, quam fuit uehemens. Quod haud ſcio an timens ſuo corpori poſſe accidere, primus e Patriciis Corneliis,*

igni uoluit cremari. L. II. de leg. c. 22. p. 1301. Edit. Gronouianae, quae prodiit Lugduni Batauorum, A. CIↃ IↃ C XCII. Denique euidentiſſimum, et quod inſtar omnium eſſe poteſt, huius rei documentum in antiquiſſimis Romanorum Legibus *XII. Tabularum*, quae uocantur, inuenio: quippe in quibus uterque ſepeliendi modus ſatis perſpicue eſt expreſſus. In fragmentis enim dictarum Legum, quae ſuperſunt, haec habentur: *Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neue urito.* Extat haec Lex apud CICERONEM, *l. c. pag. 1302.* ubi breuiter quidem, ſed accurate, eandem interpretatur. Cum ea autem conferri meretur *Reſcriptum* Hadriani Imperatoris, quo poenam ſtatuit quadraginta aureorum in eos, qui *in ciuitate ſepeliunt*, et in Magiſtratus eadem, qui paſſi ſunt: et locum publicari iuſſit, et corpus transferri. *L. 3. D. de Sep. Viol. §. 5.* Duo igitur haec, iuſta mortuis perficiendi, genera, ut diuerſa, ſibi inuicem opponuntur, lege, ut extra urbem fierent, promulgata, manifeſtoque indicio, alterutro Romanos neutiquam caruiſſe.

§. XIII.

Pergit autem FERRARIVS, ac ſilentio ueterum, quorum nullus de Lucernis noſtris aliquid memoriae prodiderit, ſe tuetur. Equidem omne ſcriptorum genus in praeſenti excutere mihi non licuit, ideoque temere quicquam de iis pronunciare, non audeo. Si tamen dicendum, quod rei ueritas poſtulat, fundamentum hoc, quod cauſae ſuae ſubſternit, altero, antea allato, haud firmius eſt, quum Lucernae ipſae, licet uel maxime de iis tacuerint ſcriptores, in promptu ſint, in Romanorum Monumentis, antiquitus exſtructis, repertae. Neque DIO CASSIVS, ad cuius auctoritatem prouocat,

uocat, multum ipsi hac in re patrocinatur. Verba eius, quae ex Graeco sermone in Latinum translata, ex FERRARIO recensuimus, sequentia sunt : Καὶ πρῶτον μὲν ξήλην ταφοείδη ἑκάςῳ σφῶν παρέσησε, τότε ὄνομα αὐτῷ ἔχουσαν, ἢ λυχνοῦχον μικρὸν, οἷος ἐν τοῖς μνημείοις κρεμάννυται. *apud* KIRCHMANNVM, *de Fun. Rom. p. 381. Edit. ult.* A. CIↃ IↃ CLXXII. Tantum uero abest, ut Lucernarum Sepulcralium, ab Romanis adhibitarum, origo ex memorato DIONIS loco exsculpatur, ut, diu ante eum in usu fuisse, ex eodem haud difficulter intelligatur. Etenim Lucernas, in Sepulcris accensas, statuendi morem, uulgarem uocat consuetudinem, easque ἐν μνημείοις κρεμαίδαι, *in monumentis suspensas fuisse*, conceptis uerbis fatetur. Quod uero addit, *Lychnuchum non in monumento fuisse, uerum de cippo pependisse*, parum ad rem facit, quum Lucernae, siue in ipsis collocatae fuerint sepulcris, siue e cippis monumentorum pependerint, sepulcrales tamen maneant, atque id nominis optimo iure mereantur. Quanquam mihi uero fit simile, in tumulis sub terra, prope cadauera, et urnas, eas arsisse, liberiorique aeri expositas minime fuisse. Exiguum enim, aut rectius nullum, Lucernarum, sub Dio positarum, usum perspicere possum, propterea, quod, si a uentorum, quibus obnoxiae erant futurae, uehementia discesserim, interdiu iis uix opus fuisset; noctu uero a rapaci furum manu tutae, atque immunes, esse, nulla ratione potuissent. Accedit, quod CASSII locus, in Graeco contextu lectus, meae sententiae non aduersetur, sed commodiorem, nec ab ipsius mente Auctoris alienam, quam iam suppeditaui, interpretationem facile patiatur. Ceterum de CIPPIS, Graece Στήλαις, ὡς ἐν

παρόδῳ, obſeruari uelim, columellas, in Sepulcris, cum memoria ac titulo aliquo, erigi olim ſolitas, Pyramidumque forma conſpicuas, illis ſignificari. Quibus praeterea columnis Mercurii ſtatuas, ſiue Hermas, quos uocabant, imponere ſolebant *Gentiles*, atque hac ratione defunctorum animis, in quas ius habere credebatur, Mercurium conciliare ſtudebant. Etenim apud LVCIANVM, *in Mortuorum Dialogis*, animas ad inferos agendi munus paſſim illi adſcribitur, et uindicatur. *De quibus Hermis legendus etiam eſt* CICERO *L. II. de Leg. c. 26. pag. 1303. Add.* COELIVS RHODIGINVS *Antiqu. Lect. L. XVII. c. 20.*

§. XIV.

Poſtremo tandem hoc perfugio utitur FERRARIVS, ut, pro aſſerenda Lucernis Sepulcralibus nouitate, Monumenta Romanorum, aedificia, in formam teſtudinis concaua, haud raro repraeſentantia, in dubium uocare, immo prorſus inficias ire, uideatur. Exiſtimat enim, Veteres Romanos Vrnas ſuas, denſiſſime conſtipatas, ita iunxiſſe, ut fieri non potuerit, quin in effodiendis illis, aut loco mouendis, nonnullae confringerentur. Quam ob cauſam dictos tumulos ſic comparatos fuiſſe, ut nullus Lucernis relinqueretur locus, ſibi perſuadet. Verum enim uero nec in his cum eo conſentire queo, quum Romae, in Campo Exquilino, permulta Monumenta, ampla ſatis, uariisque exornata marmoribus, detecta fuiſſe, Io. BARTH. MARTIANVS teſtetur. *Topogr. Vrbis Romae L. IV. c. 19.* Igitur, apud Romanos etiam *Sepulcra ſubterranea ſaepiſſime fuerunt aedificia, arcuato opere exſtructa, pauimentis ſtrata, ac parietibus circumſepta, in quae, tanquam in cellas quaſdam, per gradus aliquot deſcendebatur, foribus conditorii clauſis, uel apertis, prout uſus require-*

quirebat. Vid. KIRCHMANNVS, Vir, si quisquam alius, in funerariis Romanorum Antiquitatibus exercitatissimus, *L. III. c. 15. de Fun. Rom. ubi ex* PETRONIO ARBITRO, *atque* inscriptione *quadam* Romana, *egregie haec confirmauit.* Atque in his Monumentis, nonnunquam pulcherrimis, et magnificentissimis, loculos complures, urnis refertos, ac certo ordine dispositos, aliquando obseruatos fuisse, GEORGIVS FABRICIVS, immortale gentis nostrae decus, memorat, *in sua Roma Cap. XXI.* Sed ut ad FERRARIVM reuertar, is sibi ipsi non constat, ac parum abest, quin priorem sententiam mutet, penitusque ab ea recedat. Vi enim ueritatis uictus, sequentem in modum hanc causam perorat: *Quoniam a uiris, fide dignis, accepi, saepe cum urnis etiam Lucernas erutas, credibile est, pauperum Sepulcra, et miserae plebis polyandria, congestas hoc modo, stipatasque, urnas habuisse, ceterum nobilium, et ditiorum, monumenta ita constructa, ut cellae subterraneae fuerint, et loculi collocandis urnis, praecipue in gentis, aut familiae, monumentis, atque ita etiam Lucernis locum esse potuisse. l. c. p. 1014.*

§. XV.

Quibus nunc expeditis, atque ad liquidum, ut opinor, perductis, ad LVCERNAS CHRISTIANORVM SEPVLCRALES, quod dissertationis meae caput est, secundis uelis peruehor, de origine, usu, causis, itemque abrogatione, illarum, quantum fieri poterit, breuiter, summatimque, traditurus. Celebrem igitur, Lucernas in Sepulcris accendendi, ritum, a ueteribus etiam Christianis non repudiatum, ex *Gentilismo* deriuandum, ac speciatim in Romanorum Ceremoniis, ad pompam funebrem spectantibus, quaerendum esse, statuo, atque idoneis argumentis, ac ra-

tionibus, instructus, defendo. Enimuero inter omnes constat, non Iudaicas tantum ceremonias complures ex *Synagoga* in Christianum Coetum irrepsisse; sed plurimas etiam Profanorum ritus, primis *Ecclesiae* temporibus, a CHRISTI Sacris initiatis receptos, atque asseruatos, fuisse. Quum enim plerique horum *Pagani* essent, inueteratos, quibus innutriti fuerant, mores, ac consuetudines, illico missas facere, atque ab earum mentione, ac usurpatione, penitus abstinere, non potuerunt. Praecipue uero Romanos in multis imitati sunt, propterea, quod isti longe, lateque, ea tempestate dominarentur, ac Christianorum nomen, et doctrina, in uastissimo hoc Imperio, in uariis regnis, et prouinciis, Romano Imperatori aut subiectis, aut maiestatem eius comiter conseruantibus, insigniter amplificarentur. Christiani igitur, inter Romanos degentes, et Lucernarum Sepulcralium frequentiorem usum apud eos animaduertentes, has ab illis mutuati sunt, suorumque Monumenta iisdem exornari pariter, atque illustrari, curarunt. Qua in re mecum facit Illustrissimus sacrorum Annalium conditor, CAESAR BARONIVS, qui inter ritus, quos Christiani cum *Gentilibus*, et quidem Romanis, communes habuerunt, Lucernarum quoque Sepulcralium usum refert, ex SVETONIO, *in Octau. Aug. c. 98.* confirmans, Lumina in Sepulcris a Romanis parata fuisse, quae iisdem fere rationibus a Christianis, sine ulla superstitione, pie, sancteque, fuerint seruata. *Vid. Ann. Eccles. T. I. ad A. C. XLIV. §. 88. et ad A. C. LVIII. §. 70.*

§. XVI.

Quum uero plurimi non-Christianorum ritus superstitiosissimi merito dicendi sint, dispiciendum utique est,

eſt, utrum Chriſtianus *Lucernatis*, ut cum TERTVLLIANO loquar, Sepulcris utendi, mos, ſuperſtitionis ſordibus inquinatus fuerit; an uero ab iiſdem immunis ſit pronunciandus? Poſterius affirmare non dubito, quum pietas, optimique, et ſanctiſſimi, Veterum Chriſtianorum mores, ut diuerſum ſentiamus, permittere non uideantur. Ac, licet memoratae Lucernae a profanis hominibus deſumptae fuerint; non omnia tamen, quae prudentes, ac ſapientes, *Ethnici* fecerunt, atque egerunt, uitanda, generatimque, atque uniuerſe, proſcribenda eſſe, cenſeo. Namque et hic ſapientiſſimum diuini ualet praeſcriptum *Apoſtoli: Omnia*, inquientis, *Probate: quod bonum eſt tenete. 1. Theſſ. V, 21.* Hinc praeclare eam in rem loquitur magnus Hipponenſium Praeſul D. AVGVSTINVS, ita *Epiſt. XLIX.* ſcribens: *Non culpamus in ſacrilegis ritibus Paganorum, quod conſtruant templa, inſtituant ſacerdotia, et faciant ſacrificia*, addo etiam, Lucernas accendant; *ſed quod haec idolis, et daemoniis, exhibeant, tanquam Diis.* apud CASALIVM, *de Vet. Sacr. Chriſt. Ritibus C. LVIII. p. 289. ſq.* ubi pluribus hoc argumentum proſequitur. Quae quum ita ſint, *uenerandam Antiquitatem Eccleſiaſticam, non ſine inſtinctu diuini Numinis, ſuperſtitionem* (ſermo autem eſt de Lucernarum *accenſione*, apud profanos in Templis, et Delubris, itemque Sepulcris, quod ipſe adiicio, uſitata) *in religionem conuertiſſe, effeciſſeque, ut, quod impendebatur idolis, prouide in Dei cultum conuerteretur*, cum BARONIO rurſus aſſeuero. *l. c. ad A. C. LVIII. §. 77.* De intentione itaque, et animi cogitatione, quam priſci Chriſtiani habuerint, itemque de uſu, cui Lucernas Sepulcrales inſeruire uoluerint, prius diſquirendum eſt, quam de Ritu hoc ſententiam fuſius dicere,

cere, atque, homineſne, qui CHRISTO nomen dederunt, decuerit, an cum diuiniori cultu pugnauerit, definire queam? Intentio namque, et uſus, cauſa plerumque ſunt, quamobrem res aliqua ceteroquin indifferens, uel bonae, uel malae, ſpeciem ſortiatur. Quae intentio ſi bona fuerit, rem ipſam toleramus, atque amplectimur: in mala, negligimus eandem, ac merito auerſamur.

§. XVII.

Prius autem, quam hanc difficultatem diſcutiam, res ipſa monet, ut de non-Chriſtianorum cauſis, quas in parandis huiuſmodi Lucernis forte habuerint, ſolicitus ſim, et, quo conſilio ardentes eas conſeruari, curarint, conſimili ratione tradam. Id enim ſi neſciamus, fieri non poteſt, ut de Chriſtianorum Lucernarum fine, atque uſu, accurate, et exquiſite, mea quidem ſententia, iudicari queat. Dum igitur cauſas profanorum, quas in conficiendis eiuſcemodi Lucernis, animo ſibi propoſuerint, perquirere, et inueſtigare, laboro, uarias deprehendere mihi uideor, quas in ordinem nunc redigam iuxta, breuiterque commemorabo.

§. XVIII.

Ac primo quidem nonnulli, Veteres Aegyptios, pro animabus, mori neſciis, propugnantes, credidiſſe, quod corporibus defunctorum in ſepulcris noctes dieſque aſſederint, neque unquam a caro, quo antea uſi fuerant, domicilio longius diuelli, uoluerint, ſcriptum reliquerunt. Ne itaque in tetris tenebris, et caligine, uerſarentur, Lucernas ab iis ardentes, quae infera loca luce ſua complerent, poſitas fuiſſe, contendunt. Quam ſententiam amplectendam, ac defendendam ſuſcepit SEBASTIANVS FOXIVS, Hiſpanus, Peripateticae pariter,

ter, atque Academicae Philoſophiae ſectator, cuius uerba LICETVS *l. c. pag. 153.* recitat, ita ſcribens: *Aegyptii, uitam Lucerna ſignificantes, occaſionem ueteribus dedere ponendi lucernas perpetuas in ſepulcris; ibi cum cadaueribus animas immortales morari ſemper innuentes: non enim beſtiis id officii praeſtabant, quibus nouerant contigiſſe animam mortalem.* Quibus ſimillima, et maxime gemina, ſunt, quae IOSEPHVS LAVRENTIVS, Lucenſis, habet; *Vetus*, inquiens, *religioſa ſuperſtitio animis quorundam Philoſophorum inſederat, Animas non longe aberrare a cadaueribus, aut cineribus, quibus uitales functiones tamdiu dederant, ideoque circa ſepulcra habitare, ubi condita oſſa. Ne igitur in tenebris umbrae illae ſepulcrales oberrarent, Lucernae perpetuae accendebantur; an quia ignis ſacer eſt, et ſacra etiam Iura ſepulcralia? an quia immortalitatis ſymbolum, animas immortales teſtatur? Polymath. L. II. Diſſ. 32. p. 150. ſq. Edit. Lugd. Gall. A. cIↃ IↃ C LXVI.* Quum uero animarum μετεμψύχωσις, quam Latine animae ex uno in aliud corpus demigrationem dixeris, in Aegyptiorum ſcholis inuenta, et hinc propagata ad alias gentes fuerit, uti ab harum rerum peritis pridem eſt obſeruatum, nominatim a Io. SCHEFFERO, *Philoſ. Ital. p. 24.* PET. DAN. HVETIO, *Dem. Euang. p. 167. Edit. Lipſ.* non uideo, quomodo haec cum ſuperiore ſententia conciliari queat. Quamobrem haud abs re illam reiecit, atque aculeatis hiſce dictis irriſit, FERRARIVS: *Ne anima, quum exuuias ſuas oſculari uellet, aberraret, et unam partem pro altera ſuauiaretur, teſte Lucerna micante, ac lucida, opus fuit, ne, quum uetus hoſpitium reuiſere cuperet, poſtico ingrederetur. l. c. p. 1019.*

§. XIX.

Contra uero alii Lucernas, in Sepulcris Veterum collocatas *animae immortalitatis*, documentum dediſſe

putant, propterea, quod Aegyptii perinde, ac reliquae gentes, illis uſae, mentes hominum interitus expertes eſſe, aſſeuerarint. De Aegyptiis id teſtatur HERODOTVS, aperte ſcribens: πρῶτοι δὲ ϗ τόνδε τὸν λόγον Αιγύπτιοι εἰσὶν, ἐπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐϛι, *primi Aegyptii extiterunt, qui dicerent, animam hominis eſſe immortalem, in Euterpe, p. 154.* Inter Graeciae autem Philoſophos, ſi a Poetis, qui alioquin Philoſophis annumerari ſolent, diſceſſerimus, idem primus docuit THALES MILESIVS, teſte Diogene Laertio. *p. 16. Edit. Menag. A. cIↃ Ↄ C XCII.* Quam opinionem apud Romanos quoque receptam fuiſſe, ex CICERONE, qui unus inſtar omnium eſſe poteſt, facile demonſtratur. *Infra Lunam*, uerba TVLLII ſunt, *nihil eſt, niſi mortale, et caducum, praeter animos, generi hominum munere Deorum datos. de Somn. Scip.* Lucernae itaque, in Monumentis flammas ſpargentes, ex eorum mente, immortalitatis ſignum extiterunt, animaſque perpetuo duraturas, ſignificarunt. Quod prae ceteris defendit IVLIVS IACOBONIVS, aſſerens, *antiquos exiſtimaſſe, animam eſſe uim quandam igneam; eamque non penitus cum corpore ſuo extingui, ſed circa demortui tumulum aſſidue uolitare: atque hinc factum eſſe, ut in ſepulcris ignis, uel eius ſimulacrum, ueluti animae ſymbolum, paſſim poneretur. in Append. ad* IO. BAPT. FONTEII *ac Commentarios de Priſca Caeſiorum Gente, Bononiae A. cIↃ Ↄ xxcII. typis exſcriptos, apud* LICETVM. *l. c. pag. 151.* Cui adſtipulatur FERRARIVS, dicens: *Mihi Iacoboni opinio, dum meliora ſuccurrunt, non ita abſurda uidetur, in ſignum animae immortalis, ſi tamen hoc Ethnici homines credebant. l. c. p. 1019.* Quae aduerſus hanc ſententiam proponi, ac diſputari, poſſint, legantur apud LICETVM, ad quem B. L. breuitatis ſtudioſus remitto. *l. c. p. 152.* Ceterum ignem perpe-

perpetuitatis indicium a Veteribus habitum, ac Romae ignes ſempiternos a Veſtalibus Virginibus, ut Romanorum imperium, ad caeleſtium aemulationem ignium, perpetuo conſiſteret, aſſeruatos fuiſſe, nonnulli arbitrantur. *Vid.* LAVRENT. *Polym. L. II. Diſſ. 32. p. 151.*

§. XX.

Aliam porro Lucernarum Sepulcralium cauſam ſuppeditat IACOBONIVS, easque *grati erga Deos Manes animi pignus*, ac teſtimonium, extare debuiſſe, opinatur. Ita enim pergit: *Exiſtimatum fuit ab antiquis, uiuos homines in poteſtate ſuperorum Deorum eſſe; mortuos uero ad inferna pertinere Numina, quae nomine Manium appellabant, quia putabant, Deos inferos manere in tumulo cum cadaueribus. Quare in grati animi argumentum Sepulcra non minus mortuis, quam Manibus, inſcribebant: Quorum exempla innumera ſunt, apud Inſcriptionum priſcarum collectores. Qua coniectura dicere etiam poſſumus, antiquos lucernas accendere ſolitos intra monumenta Diis Manibus grati animi ergo, quod in Sepulcris cum cadaueribus, quorum curam habebant, Manes Dii permanerent*, apud LICETVM *l. c. p. 151.* Cum quibus concordant, quae Ioſ. LAVRENTIVS memorat: *Diis Manibus*, inquiens, *antiqui Sepulcra ſua dicabant, et potiſſimum Platoni, Cacodaemonum Principi. Quod uero huic, ceteriſque Diis Manibus, Lucernae in locis ſubterraneis ardentes reconderentur, ex multis marmoribus, monumentis, ſcriptoribus Antiquariis, colligere licet, ac ſpeciatim Licetus, Philoſophus, et Antiquarius ſolertiſſimus, Lucerna, Ateſte A. CIↃ IↃ ruſticis, terram fodientibus, in Vrna reperta, confirmat. Polym. l. c. p. 151.* Quod autem ad LICETI hac in re conſenſum prouocat, in eo uehementer fallitur, quum hic illam IACOBONII opinionem impugnandam ſuſceperit, *l. c. pag. 135.* Licet haud

haud ignorem, LICETVM alibi dixiſſe, quod Veteres, defunctorum animas in Deos Manes abiiſſe, humanamque conditionem cum immortali commutaſſe, exiſtimarint. *Conf. l. c. p. 609.* Plura de Diis Manibus, qui legere uoluerit, adeat CL. SALMASIVM, qui omnium eruditiſſime, atque accuratiſſime, de iis egit. *Exercitat. Plin. in Solin. Tom. I. p. 412. Edit. Pariſ. A. CIↃ IↃ CXXIX.*

§. XXI.

Succedit quarta ratio, *Corporis* uidelicet *Cura*, ac *Cuſtodia*, cuius gratia antiqui Lucernas in tumulis ſuorum ardere iuſſiſſe, dicuntur. Ne igitur cadauera in locis iſtis ſubhorridis male ſeſe haberent, aut quicquam iis accideret incommodi, proſpicere, eumque in finem ardentes parare Lucernas ueteres conſueuiſſe, quidam hariolantur. Primus autem, qui *Paganos* hanc opinionem animo imbibiſſe, cenſuerit, fuiſſe perhibetur Illuſtris Vir, IVLIVS CAESAR SCALIGER, referente LICETO *l. c. pag. 172. Conf.* SCAL. *de Re Poet. L. III. c. 19.* Quod iurene, an iniuria, de eo aſſeratur, nunc non diſputo: certe ex uerbis illius, quae exhibet LICETVS, colligi id, atque elici, meo quidem iudicio, nequit. De Lucernis enim prorſus conticeſcit, ut omnis, qui ipſum conſulere, aut ex LICETO audire, uoluerit, confeſtim deprehendet. Quamobrem ipſe etiam LICETVS, hanc ſententiam examinans, ac refellens, tantum abeſt, ut SCALIGERO eam aſcribat, ut alieniſſimum hunc ab eadem fuiſſe, ultro confiteatur.

§. XXII.

Praeterea, quum Veteres Sepulcrorum loca ſingulari ſemper ueneratione proſequuti ſint, ſacraque et religioſa, itemque lege, aut inſtituto, maiorum ſancta eſſe putarint, teſte FESTO, apud KIRCHM. *l. c. pag. 320;* Lucernis

cernis, in iisdem positis, noua quadam *honoris* accessione defunctos augere uoluisse, alii coniiciunt, atque sibi persuadent. Quorum numero praecipue censendus est FRANCISCVS BENCIVS, Ignatianae familiae sacerdos, atque orator insignis, qui Romae praecepta dicendi tradidit, laudatus a IANO NICIO ERYTHRAEO, *Pinacoth. P. II. p. 155.* Hic enim antiquos, Romanos, aliosque, Lucernas prope cadauera *honoris causa* accendisse, et ut locum monumenti maiore, et fere diuino, afficerent honore, Sepulcris Lucos, ac nemora, addidisse, ac ne ullo modo uiolari unquam possent, graui in eos, qui deliquissent, poena, legibus constituta, prospexisse, putat, teste LICETO *l. c. pag. 174.* Quae quidem sententia tam fortunata non est, ut FORTVNII consensum, atque approbationem, mereatur: si tamen dicendum, quod res est, languida, ualdeque ieiuna, LICETI ratio, qua illam euertere studet, mihi uidetur. Vt adeo hic locum habeat CL. FERRARII de eo iudicium, quippe a quo de ἀπειρισίας uitio palam postulatur. Is enim illius *rationes stipula* saepe *leuiores esse, et dummodo aliquid obiectis reponat, rectum sit, an secus;* istum *nihil pensi facere*, sine ulla uerborum circuitione affirmat. *de Luc. Vet. pag. 1013. l. c.* Sed audiamus ipsum LICETVM, ita loquentem: *Neque huic sententiae subscribere possumus. Quum enim nemo sit non auidus honoris, eiusque appetentiores plerumque sint plebeii homines, iam omnes antiqui debuissent honoris causa in tumulis cadaueri suo lucernas accendi, mandare, ac speciatim plebeios oportuisset in suis monumentis id instituere: Contra tamen soli nobiles antiquitus lucernas in suis sepulcris accendi curabant. l. c.* Quae responsio quam inanis, et infirma, sit, uel ex eo manifestum esse potest, quod tenuioris fortunae homines, am-

plioribus deſtituti monumentis, a Lucernis etiam Sepulcralibus ſibi temperare, neceſſe habuerint. Res enim domi anguſta, qua plerumque conflictantur, non facile patiebatur, ut ingentes impenſas, tam in Lucernas ipſas, quam ſuperbam ſepulcrorum aedificationem faciendas, tolerare potuiſſent. De ditioribus interim aliter ſentiendum eſt, horumque ſepulcra, in quibus exſtruendis nullis ceteroquin pepercerunt ſumptibus, Lucernis caruiſſe, nondum euictum, comprobatumque eſſe, cum FERRARIO *l. c. p. 1018.* exiſtimo.

§. XXIII.

Quum uero apud omnes in confeſſo ſit, Veteres, in honorem uita functorum, ſumptuoſiſſima ſaepenumero Mauſolea, atque admirandas, et magnifico opere exſtructas, lapidum moles, quas Pyramides, et Obeliſcos, uocant, teſtes uirtutis ſuorum futuras ſempiternas, exaedificaſſe; quid quaeſo impedit, quo minus ardentibus quoque Lucernis, mortuorum Sepulpulcra honorarint. Apud Romanos certe hoc honoris genus defunctis, bene de ſe meritis, exhibitum, non infrequens, aut inſolens, atque inauditum, fuiſſe, TRANQVILLVS, ſcriptor grauiſſimus, ſatis ſuperque confirmat. De Auguſto enim Caeſare haec refert: *Ex dilectis unum, Maſgabam nomine, quaſi conditorem inſulae,* κτίσην *uocare conſueuerat: huius Maſgabae, ante annum defuncti, tumulum quum ex triclinio animaduertiſſet magna turba, multisque luminibus frequentari, uerſum, compoſitum ex tempore, clare pronunciauit:*

Κτισῆ δὲ τύμβον ἐισορῶ πυρούμενον,
Conditoris tumulum aſpicio illuminatum.

Et

Et paulo poſt:

Ὁρᾷς Φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον,
Vides luminibus Maſgabam honoratum.

Maſgabam autem illum Imperator in Inſulam, Capreis uicinam, Απραγόπολιν a ſe dictam, atque a Campanis redemptam, miſerat, qui nouis colonis, quibus inſulam habitandam conceſſerat, praefectus, illius ex hoc capite conditor feſtiue ab Octauio appellabatur. Ad quem locum eruditiſſimus CASAVBONVS obſeruat, apud profanos *moris fuiſſe, in tumulis cereos ponere*, ueteresque *in omnibus locis, quibus aliquid religionis tribuebant, lumina poſuiſſe. Not. in* SVETON. *L. II. c. 98.*

§. XXIV.

Tum quoque dantur nonnulli, qui Lucernas, in antiquorum Monumentis reconditas, certum *Nobilitatis* generis, familiaeque ſplendoris, indicium praebere debuiſſe, aſſerunt, atque omni, qua poſſunt, ope defendunt. Quos inter agmen facile ducit LICETVS, qui pro duabus inprimis Lucernarum cauſis propugnans, eam, quam iam nominaui, *Politicam*, ſiue *Moralem*, nuncupauit. *Politicus finis erat*, inquit, *in ſignum nobilitatis familiae defuncti: quoniam lucernae ardentes, uel etiam extinctae, in tumulis nobilium ſolummodo comperiuntur: non autem unquam ullae in plebeiornm conditoriis, aut urnis (quod ego quidem obſeruare potuerim) repertae fuerunt. l. c. pag. 185.* Aduerſus quem diſputans FERRARIVS, ſignum hoc, ueluti occultum, et latens, nullius momenti futurum fuiſſe, atque ex ipſa inſcriptione, gentiſque titulo, de ſplendore generis multo rectius iudicari potuiſſe, haud temere pronunciauit. *Vid. l. c. pag. 1018.* LICETVS autem, ut ſententiam, quam ſemel amplexus eſt, tuendam ſuſcipiat, ad ſingu-

larem

larem legem, *Digeſtorum* libris comprehenſam, prouocat, ſuamque inde opinionem firmiter ſtabiliri, cenſet. Lex illa haec eſt : *Maeuia decedens ſeruis ſuis, nomine Sacco, et Eutychiae, et Hirenae, ſub conditione libertatem reliquit, his uerbis:* „Saccus, ſeruus meus, Eutychia, et Hirene, ancillae „meae, omnes ſub hac conditione liberi ſunto, ut mo„numento meo alternis menſibus Lucernam accendant, „et ſolemnia mortis peragant. *Leg.* Maeuia. *D. de Manum. Teſtam. Conf. ad hanc legem Interpp. quorum Notis elegantiſſimam, a ſe adornatum, Corporis Iuris Ciuilis Editionem* SIMON VAN LEEVVVEN *locupletauit. Prodiit haec Amſtelodami et Lugduni Bat. A. c Io Io CLXIII.* At enim uero, *Nobiles tantum*, ut liberti Lucernas in monumentis accenderent, teſtamento praecipere conſueuiſſe, nec uola, nec ueſtigium, in memorata lege comparet. Quapropter Ios. LAVRENTIVS, eadem lege in ſubſidium uocata, dicens, *Lucernas ardentes in illuſtrium, et maxime Nobilium, Sepulcris appoſitas ſuiſſe, ad differentiam plebeiorum et ignobilium*, LICETVM ſecurius paullo exſcripſiſſe, uidetur. *Polym. l. c. pag. 150.*

§. XXV.

Vltimo tandem loco, celebres antiquorum Lucernas, *in* miſerarum *animarum*, cum cadaueribus ſuis commorantium, *ſolatium*, atque *oblectamentum*, ardentes in ſepulcris conſeruatas fuiſſe, idem LICETVS fidem nobis facit. Etenim hanc Lucernarum cauſam *Naturalem*, ſeu *Phyſicam*, uocat, ita pergens: *Nihil eſt euidentius, quam apud ueteres communem fuiſſe opinionem, mortuorum* (eorum praecipue, qui genio ſuo indulgentes, libidinoſe uixerint, aut uiolenta morte abſumpti fuerint:) *animas cum cadaueribus, oſſibus, cineribuſque, permanere in monumentis.*

tis. Ne igitur animae illae post mortem hominum in tenebroso sepulcro misere iacerent, ac ueluti tetro in carcere detinerentur; sed uicissim perpetua luce fruerentur; omni conatu ueteres laborauerunt, totoque ingenio studuerunt, lucernas quasdam fabricari, habereque, admirabiles in tumulis cum sepulto cadauere, uel cinere, concludendas, quae semel accensae, uel nunquam in posterum externo fomite ullo indigerent; at ex se perpetuo igne ardentes, (ui scilicet ὑποθέσεως suae,) *aeternum lumen effunderent; uel ad multum temporis effulgere ualerent; uel assidue a libertis, aliisque, nouo adiecto fomite, conseruarentur ardentes.* Hactenus LICETVS *l. c. p. 189.* Quam in rem plurima Philosophorum pariter, ac Poetarum, dicta cumulat, et speciatim Ammonii, qui in Porphyrium de V. *Praedicabilibus* commentatus est, Porphyrii, Plotini, Macrobii, Platonis, Plutarchi, Plinii, itemque Virgilii, Ouidii, ac Tibulli, auctoritatibus assertioni suae robur conciliare enititur, atque elaborat. *Conf. l. c. p. 186. seqq.* ubi memoratorum scriptorum testimonia legi, et examinari, possunt. FERRARIVS autem hanc *Gentilium* superstitionem deridendam nobis propinat, eamque a LICETO uerbosius propositam esse, minime probat. Quamobrem, explosa illa, reiectaque, sic exclamat: *O rem iucundam! Quis autem sensus animabus, ubi oculi, aures, unde metus tenebrarum? Dulces naeniae, et lugentium puerorum oblectamina. loc. cit. pag. 1018.* De reliquo isthaec LICETI, de Lucernarum Sepulcralium causa, sententia, et usu, si cursim attendatur, cum FOXII opinione, quam supra retuli, §. XVIII. pariter incedere, ac LICETVS illam reiiciens, hic sibi contradicere uidetur: uerum accuratius paulo haec consideraturo utriusque discrimen statim innotescet. Hic enim de iis praecipue loquitur, qui ratione male utentes, libidinibus, ac cupiditatibus, totos sese uiuos

tradiderant, diemque uitae extremum uiolenta morte confecerant. §. XXVI.

Atque hic quidem, enumeratis Lucernarum, a non-Christianis in Sepulcris conditarum, strictimque, quantum fieri licuit, examinatis, causis, acquiescere possem, nisi alium adhuc earum, ac perquam memorabilem, eundemque ab illis longe diuersum, apud Romanos usum obseruassem, quem paucis hisce subiungendum putaui. Namque ex PLVTARCHO didici, Lucernas in Virginum Vestalium, qui rarum, atque irreparabile, conditionis, et castitatis uirginalis, decus non seruarant, Sepulcris positas, manifestum *amissae Virginitatis* indicium praebuisse. Quaecunque igitur ex harum numero stuprum in se admiserat, tristissimo, et horrendo, spectaculo, uiua defodiebatur, atque, ut poenam crudelissimam oculis usurparet, seque mori, sentiret, Lucerna ardens efficere debebat. Alii uero id ideo factum esse existimant, quod, ad epulas nouissimas, quae condemnatae sacerdoti religiosae sub terra apparabantur, lumine opus esset. Praestat autem, PLVTARCHI uerba, longiora quidem, sed accurata consideratione non indigna, in medium afferre, ut omnibus, haec lecturis, liberum, quamcunque uelint, sententiam eligendi, arbitrium permittam. Ἡ δὲ τὴν παρθενίαν καταισχύνασα, inquit ille, ζῶσα κατορύττεται, παρὰ τὴν Κολλίνην λεγομένην πύλην. Ἐν ᾗ ἔξι τὶς ἐντὸς τῆς πόλεως ὀφρὺς γεώδης, παρατείνουσα πόρρω· καλεῖται δὲ χῶμα διαλέκτῳ τῇ Λατίνων. Ἐνταῦθα κατασκευάζεται κατάγειος οἶκος ὑμέγας, ἔχων ἄνωθεν κατάβασιν. Κεῖται δὲ ἐν αὐτῷ κλίνη τε ὑπεστρωμένη, καὶ λύχνος καιόμενος, ἀπαρχαί τε τῶν πρὸς τὸ ζῆν ἀναγκαίων, βραχεῖά τινες. οἷα ἄρτος, ὕδωρ ἐν ἀγγείῳ, γάλα, ἔλαιον. ὥσπερ ἀφοσιωμένων τὸ μὴ λιμῷ διαφθείρειν σῶμα τὰς μεγίσας παθιε-

καθιερωμένων ἁγισίας. Αὐτὴν δὲ τὴν κολαζομένην εἰς Φορεῖον ἐνθέμενοι, καὶ καλαισεγάσαντες ἔξωθεν, καὶ καλαλαβόντες ἱμᾶσιν, ὡς μηδὲ φωνὴν ἐξάκουσον γενέσθαι, κομίζουσι δι' ἀγορᾶς. Εξίσανται δὲ πάντες σιωπῇ, καὶ παραπέμπουσιν ἄφθογγοι μετά τινος δεινῆς κατηφείας· οὐδέ ἐσιν ἕτερον θέαμα φρικτότερον, οὐδ' ἡμέραν ἡ πόλις ἄλλην ἄγει συγνοτέραν ἐκείνης. Οταν δὲ πρὸς τὸν τόπον κομισθῇ τὸ Φορεῖον, οἱ μὲν ὑπηρέται τὰς δεσμὰς ἐξέλυσαν, ὁ δὲ τῶν ἱερῶν ἔξαρχος, εὐχάς τινας ἀπορρήτους ποιησάμενος, καὶ χεῖρας ἀνατείνας θεοῖς πρὸς τῆς ἀναίγνης, ἐξάγει συγκεκαλυμμένην, καὶ καθίσησιν ἐπὶ κλίμακος εἰς τὸ οἴκημα κάτω Φερούσης· εἶτα αὐτὸ μὲν ἀποτρέπεται μετὰ τῶν ἄλλων ἱερέων, τῆς δὲ καταβάσης, ἥ τε κλίμαξ ἀναιρεῖται, καὶ καταικρύπτεται τὸ οἴκημα, γῆς πολλῆς ἄνωθεν ἐπιφορεμένης, ὥστε ἰσόπεδον τῷ λοιπῷ χώματι γενέσθαι τὸν τόπον. Ουτω μὲν αἱ προέμεναι τὴν ἱερὰν παρθενίαν κολάζονται. Quae, a GVIL. XYLANDRO Latine reddita, ſic ſe habent: *Stupri comperta, iuxta portam, quae dicitur Collina, uiua defoditur. Tumulus ibi intra muros terreus eſt, in longum porrectus, (agger Latino ſermone uocatur) in eo aedicula ſubterranea extruitur modica, gradus habet, quibus deſcenditur ſuperne. In ea lectus ponitur ſtratus, et* lucerna accenſa, *eorum quoque, quae ad uictum ſunt neceſſaria, pauca, ut panis, aqua in ampulla, lac, oleum, quaſi corpus abominentur, maximis conſecratum ceremoniis, fame conficere. Damnatam lecticae indunt, atque undique obnubunt eam, uinciuntque loris, ut ne uocem quidem mittere illa, quae ualeat exaudiri, queat. Ita eam per forum deuehunt. Decedunt autem una omnes taciti, proſequunturque ſine uoce, atque ingenti cum moeſtitia. Neque eſt ſpectaculum illic ullum magis horrendum, nec triſtior facies ciuitatis ulla alia eſt die. Vbi ad locum illum eſt lectica delata, apparitores ei uincula de-*

munt,

munt, pontifex maximus ante ſupplicium, preces quaſdam arcanas, tenſis ad caelum manibus, peragit. Inde educit obuolutam, atque in ſcalis, qua deſcenſus eſt in domunculam, conſtituit, tum auertit ſe cum aliis ſacerdotibus. Poſtquam illa deſcendit, retrahuntur ſcalae, et aedicula multa iniecta deſuper humo contegitur, donec complanatum ſolum aggeris ſit. Ad eum modum plectuntur, quae ſacram uirginitatem imminuerunt. In Vita Numae, p. 67. Ad quem locum prouocans LAVRENTIVS, *Lucernas in Veſtalium Sepulcris poſitas, turpitudinis, et amiſſae Virginitatis, documentum praebuiſſe,* teſtatur, *l. c. p. 150.*

§. XXVII.

Sed enim uero ne diutius, quam par fuerit, his immorari, atque *extra oleas*, quod aiunt, *uerſari*, uidear, ad Lucernarum Sepulcralium, a Chriſtianis adhibitarum, cauſas percenſendas me conuerto, omni, qua fieri par eſt, diligentia in eas inquiſiturus. Quas nunc facilius inueſtigare, et ſolidiori ſubiicere examini, potero, quum uiam mihi in ſuperioribus ad hanc rem communiuerim, omniaque, quae remoram iniicere poſſe, uidebantur, e medio ſuſtulerim, ac pro uiribus explicarim. Eum enim in finem de cauſis *Gentilium* Lucernarum fuſius diſſerui, ut, cognitis hiſce, ac probe perſpectis, diſcrimen inter Chriſtianorum, et non-Chriſtianorum, Sepulcrales, quomodo nimirum ſecum conueniant, ac rurſus a ſe inuicem diſcrepent, nullo negotio perſpiciatur. Quamobrem in ſpem uenio certam, fore, ut benignius mecum agatur, nec ab ullo, harum rerum forte non ſatis gnaro, longius me digreſſum eſſe, aut aliena inſtituto propoſuiſſe, coeco impetu, animoque, in reprehenſionem praecipiti, decernatur. Tantum enim abeſt, ut peritorum iudi-

iudicia, ac *censuras*, refugiam, aut pertimescam, ut eorum, qui attentius haec perlustrare dignati fuerint, arbitrio et stare, et cadere, minime recusem.

§. XXVIII.

Christiani itaque, reiectis, ac damnatis, quae cum diuiniori cultu pugnare poterant, *Paganorum* de hoc ritu opinionibus, Lucernas Sepulcrales, ab iis acceptas, ac ueluti in manus traditas, ab omni superstitionis labe, ut credere par est, purgarunt, ac meliori, sanctiorique, usui initio consecrarunt. Quod ut ostendam, causae proferendae sunt, quibus gens, Seruatoris nostri sacris dedita, permota fuisse uidetur, ut dictis Lucernis suorum Monumenta cohonestarit. Quantum uero coniectura assequi possum, harum praecipue quatuor consideratione dignae sunt, et, maiore ex parte, sic comparatae, ut Veteres Christiani, hac etiam in re, *Gentiles* imitando exprimere uoluisse, uideantur. Supra enim audiuimus, Non-Christianos, Mentes hominum ab interitu immunes esse, statuentes, posita ardente in Sepulcro Lucerna, euidens sententiae suae testimonium dare, conatos fuisse. Christiani autem, firmioribus caelestis doctrinae, diuinitus patefactae, atque in sanctiores literas relatae, praesidiis instructi, longe certius idem crediderunt, et maiore quoque fiducia feliciorem, post hanc uitam, statum, conditionemque, sibi polliciti fuerunt. Quapropter *animas* suorum, qui recto, ac constanti animi proposito, spequeomni in Sospitatore suauissimo unice collocata, naturae debitum persoluerant, non *immortales* modo; sed et *in perpetua luce uersaturas esse*, accensis in eorum Conditoriis Lucernis, significasse, uidentur. Quo ipso Lucernam ardentem uitae, lucisque, symbolum esse, docue-

runt, pieque defunctos, ſuperatis huius mundi aerumnis, nullis adhuc tenebris obnoxios, ad aeternum gloriae ſplendorem peruenisſe, exiſtimarunt. Neque abnuerim, eodem ritu antiquos *fideles* ad CHRISTVM, ſempiternae lucis auctorem iuxta, datoremque, reſpexisſe, eiuſque gratia, ac meritis, innixos, partae per ipſum Lucis participes fieri, Lucernis iſtis publice teſtari conſueuisſe. Nouerant enim, et memoriae tradiderant, gaudii, ſolatiique, plena optimi Seruatoris uerba, ac digna profecto, quae locum hic inueniant: *Ego ſum Lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen uitae, Io. VIII, 12.* Atque hanc fere priſcorum, Lucernis Sepulcralibus utentium, mentem fuisſe, facile adducor, ut credam, propterea, quod uetuſtiſſimis temporibus, apud Aegyptios, Graecos, Romanoſque, Lucernam uitam, animumque, ſaepiſſime repraeſentaſſe, non ignorabant. Quod memorabili EVRIPIDIS dicto: χαῖρε Φίλον Φῶς, quod morituri dicere ſolebant, luculente comprobatur. Vnde et Lampadum Ludus antiquiſſimus, uitae propagationem ſignificans, originem traxit. In hoc enim alii aliis, alternis uicibus, ſuccedunt,

Et quaſi curſores uitai lampada tradunt,

ut uerba LVCRETII, Poetae, mea faciam. *Vid.* STEPHAN. PIGHIVS, *Them. Dea, apud Gronouium, Theſ. Antiqu. Graec. Tom. IX. pag. 1167.* Quod inſigne, atque incomparabile, opus ex inſtructiſſima Excellentiſſimi Viri, quem honoris cauſa hic nomino, DN. D. IO. IAC. A RYSSEL, Patroni, ac Hoſpitis, mei, omni obſeruantiae genere colendi, Bibliotheca accepi. Inprimis autem conferri meretur eruditiſſimus FERRARIVS, cuius uerba digniſſima ſunt, quae hic legantur. Circa finem enim ſaepius laudatae diſſer-

tatio-

tationis ita pronunciat: *De Christianis non dubitauerim*, Lucernas Sepulcrales, *etiamsi lumen non esset perpetuum, symbolum quoddam, et imaginem lucis illius fuisse, quam uita functis rite, solemni carmine, apprecamur:* Et lux perpetua luceat eis. *p. 1019, 1020.* Apud Christianos igitur, ut rem in pauca contraham, Lucernae, in tumulis accensae, solemnis ritus, ac pietatis officium, aeternaeque, et fortunatae, lucis argumentum extiterunt.

§. XXIX.

Porro, quum Christiani uiderent, a *Gentilibus* in defunctorum, maxime eorum, qui singulari uirtute praediti, ac meritorum gloria illustres fuerant, tumulis cereos poni, atque Lucernas accendi, *honoris causa*, consueuisse, uti supra ex SVETONIO demonstraui; hac quoque in re illis inferiores esse noluerunt, suosque, integritate, et sanctimonia uitae, itemque admirabili in religionis causa constantia, ceterisque uirtutibus, Christiano homine dignis, conspicuos, eodem honoris genere augendos, curarunt. Speciatim uero ad honorem Virorum, uita, more, et religionis Christianae instituto, sanctorum, ac testium diuinae ueritatis lauream adeptorum, quos *Ecclesiastico* stilo *Martyres* uocamus, haec consuetudo translata est, horumque *Martyria* et *Tropaea*, (*de quibus uocibus uid. Euseb. Histor. Eccl. L. II. cap. 25. p. 68. et de Laud. Constantini M. cap. 9. pag. 630. ibique Vales. in Not. pag. 280.*) cereis, ac Lucernis, accensis decorata fuerunt. Cuius ritus locupletissimum, certissimumque, testem laudare possum D. HIERONYMVM, qui in scriptis suis, hoc honoris genus *Martyribus* exhibitum fuisse, semel, iterumque et saepius, indicauit. Conf. CASAVBONVS, *Not. in* SVETONII *Octau. Aug. c. 98.* Nominatim uero aduersus

VIGI-

VIGILANTIVM, Barcinonenſis, in Hiſpania Tarraconenſi, *Eccleſiae Presbyterum*, ſcribens, hanc conſuetudinem, in quam acriter ille inuectus erat, Luminaque, ad mortuorum tumulos accenſa, profanam ſuperſtitionem ſapere, dixerat, defendit, nihilque cum *Paganorum* delira, et anili, religione Chriſtianorum Lucernis commune eſſe, pronunciauit. *Vid.* HIERON. *Opp. T. II. Ep. LX. pag. 85. Edit. Francof. A. c Iↄ Iↄ CLXXXIII.* Atque hinc Vir illuſtris, CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS, qui, uti omnis eruditionis promus condus fuit; ita diligentiſſimus ſacrae Antiquitatis inueſtigator merito dicendus: *Apud Chriſtianos*, inquit, *adeo uſitatum fuit, ad defunctorum, inprimis autem Martyrum, et ſanctorum, tumulos cereos, et Lampades, accendere, ut calumniandi inde Orthodoxos anſam arripuerit Vigilantius. Nam apud Hieronymum hae eius criminationes extant: Prope ritum Gentilium uidemus, ſub praetextu religionis introductum in Eccleſias, ſole adhuc fulgente, moles cereorum accendi. - Magnum honorem praebent huiuſmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de uiliſſimis cereolis illuſtrandos, quos agnus, qui eſt in medio throni, cum omni fulgore Maieſtatis ſuae illuſtrat. Reſpondet Pater Sanctiſſimus: ſeſe non clara luce cereos accendere, ſed nocte, ut eius tenebras hoc ſolatio temperent, et uigilent ad Lumen. Concedit interim, quaſdam forte feminas, propter imperitiam, et ſimplicitatem, id facere. Conf.* DAMASCENVS, *Orat. de Fidelibus defunctis.* Hactenus SCHVRZFLEISCHIVS. *Coll. MS. de Antiqq. ſacris*, quod Excellentiſſimus Dn. Praeſes, *Beati* fratris manu ſcriptum, liberaliter mecum communicauit. Ceterum ipſe Stridonienſis *Presbyter* eos reprehendit, qui ideo cereos, ac lampades, ad *Martyrum* tumulos accendebant, quod hos in ſepulcri

tene-

tenebris lumine indigere, sibi persuaderent. Quae etiam Baronius obseruat ad A. C. LVIII. §. 77. Quod si uero cultus *Martyrum* religiosus abfuerit, non uideo causam, quamobrem culpandi hoc nomine ueteres Christiani, ac *Paganae* superstitionis rei sint faciendi.

§. XXX.

Praecipue uero dies *Martyrum* natales, quibus cruenti *Euangelicae* ueritatis testes mortalitatem expleuerant, solemni ritu celebrantes, horum Sepulcra frequentarunt, ac, ceteras inter ceremonias, cereis, ardentibusque Lucernis, honorare studuerunt. Qui mos iam Antonini Pii temporibus, seculo post C. N. secundo adulto, inualuit: quippe quo ueteres Christiani memoriam sanctorum, qui in *Martyrum* numerum ab *Ecclesia* relati fuerant, recolere, atque anniuersarios, et solemnes, ad eorum Monumenta conuentus, maxima uirorum, mulierumque, frequentia, agere solebant. Eum autem in finem *Martyribus* hunc honorem habebant, ut laudabilia illorum facinora, in memoriam reuocata, sibi ante oculos ponerent, et tam illustria exempla, si DEO ita uisum fuisset, laeto, alacrique, animo, sequerentur. Quod EVSEBII PAMPHILI, quam meis, edisserere uerbis malo. Is enim praeclare in hanc rem loquitur: Τὰς Μάρτυρας, inquiens, ὡς μαθητὰς τοῦ Κυρίου, καὶ μιμητὰς, ἀγαπῶμεν ἀξίως· ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον. ὡς γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ συμμαθητὰς γενέσθαι. *Martyres, tanquam discipulos, et imitatores, Domini, merito amore prosequimur, ob eximiam ipsorum beneuolentiam, quam erga Regem, ac Magistrum, suum declararunt. Quorum nos quoque consortes, ac condiscipulos, fieri, omnibus modis optamus.* Et paucis interiectis:

iectis: Εν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ (Πολυκάρπου) ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τῶν προηθλικότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν. *Concedet DEVS, natalem eius martyrii diem cum hilaritate, et gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt; tum ad posteros huiusmodi exemplo erudiendos et confirmandos. Histor. Eccles. L. IV. c. 15. pag. 135.* Illa igitur aetate, qua rectis moribus CHRISTIQVE, et *Apostolorum*, praeceptis, atque institutis, maius statuebatur pretium, prisci Christiani, *Martyrum* constantiam, ac *fidem*, in atrocissimis uexationibus, et cruciatibus, probatam, admirabundi suspicientes, incredibili amore emendati ritus assertores, ac uindices, prosequebantur, ita quidem, ut eorum ossa, ac cineres, summo studio colligerent, collectos in *Cryptis* seruarent, atque hac ratione seruatos, omni honoris genere, accensisque Lucernis, condecorarent. Dies autem, quibus hoc pietatis officio potissimum fungebantur, *Martyrum natales* dicti, ipsaque sepulcra, reliquias horum continentia, *Memoriae* nuncupata fuerunt, propterea, quod diebus istis, quibus in acerbissimis doloribus laeti, hilaresque, Spiritum DEO reddiderant, atque caducam hanc uitam cum meliore, et sempiterna, commutarant, in tumulis illorum memoria quotannis concelebraretur. Recte igitur de hoc Ritu, prout ab antiquioribus Christianis institutus fuit, iudicat BARONIVS: *Quis*, inquiens, *inique ferat, si, quae olim complures Christianorum in Natalitiis Principum consuerunt factitare*, (de Lucernis, et cereis, accensis, loquitur) *eadem in Natalitiis Martyrum fuerint commutata. Ann. Eccl. Tom. I. ad A. C. LVIII. §. 77.*

§. XXXI.

§. XXXI.

Ac de cereis quidem, in Monumentis Christianorum, *honoris causa*, accensis, res manifesta est, atque a nemine, quod sciam, in dubium uocata. Maior autem difficultas supereſt, utrum et Lucernae in eorundem Sepulcris ex hoc capite collocatae fuerint? Quod sigillatim asserere, atque operosius etiam, si opus fuerit, defendere, non dubitauerim, propterea, quod Lucernarum in locis religiosis, quorum nomine *Martyrum* inprimis *Memoriae* ea tempestate censebantur, *accensio* frequentissima fuit, atque a priscis Christianis non raro celebrata. Etenim non Lucernis modo suorum tumulos illuminabant, sed uariis quoque rebus, honorem quendam, atque existimationem, defunctis conciliantibus, eos exornare, in more positum habebant. Quorsum spectant insignia dignitatum illustrium, cruentae, glorioſae tamen, mortis instrumenta, uasa, et receptacula, ad excipiendum *Martyrum* sanguinem idonea, acta item *Martyrii*, nomina, siue tituli, demortuorum, anchorae, palmae, coronae, oleae rami, uites, racemi, aliaque id genus, in Monumentis recondita, et passim obseruata. *Conf.* AMBROSIVS *Exhort. ad Virg. Opp. Tom. V.* PAVLINVS *in Vita Ambrosii de S. Nazario.* CHRYSOSTOMVS *de Babyla, aduersus Gentes.* BARONIVS *ad A. C. I. IV. §. 4.* SVRIVS *in Vitis Sanctorum Mens. Mart. et Jun.* PETRVS de NATALIBVS *L. II. Histor. Sanct. C. 60. et L. V. c. 141. Add.* omnino ANTONIVS BOSIVS, siue, qui ex Italico sermone hunc in Latinum transtulit, PAVLVS ARINGHVS, *in Roma Subterr. c. 25. 28. sqq. et L. VI. c. 40. 43, 44, 45. 49. 50.* Nominatim uero D. AMBROSIVS auctor est, SS. Geruasii, et Prothasii, corpora, una cum Actis eorum *Martyrii*, a Philippo quodam literis consignata,

gnata, reperta fuiſſe. *L. VII. Epiſt. 53.* Simile quid de BARNABA, S. PAVLI, in munere *Apoſtolico*, ſocio, ac collega, quo cum *Euangelium Mathaei*, ipſius manu deſcriptum, conditum fuerit, refert THEODORVS, H. E. L. II. *p. 557, 558.* De quibus actis, cum *Martyrum* corporibus terrae mandatis, tenendum eſt, ueteres, a profanorum inſidiis ſibi metuentes, terra haec abſcondidiſſe, ne *Pagani* ea obliterarent; ſed poſteri, in quorum manus peruenerint, glorioſa ſanctorum uirorum, religionis cauſa ſuſcepta, certamina, lecturi, ueros, germanoſque, *Martyres*, agnoſcerent, eorumque dicta, et facta, imitando exprimere, conarentur. *Vid.* ARINGHVS *L. VI. c. 50. §. 32.* Ad Lucernas autem Sepulcrales quod attinet, has quoque ſalutari crucis ſigno, et cariſſimi Seruatoris ſacroſancto nomine, in iis expreſſo, conſpicuas, inter alia, in Monumentis repoſita, ornamenta locum inueniſſe, nullum mihi dubium remanere poteſt. Illarum enim hodieque nonnullae conſpiciuntur, in propoſita ſententia mirifice me confirmantes; de quibus infra erit diſſerendi locus. Accedit, quod P. ARINGHVS, innumerabiles in Chriſtianorum *Coemeteriis* repertas fuiſſe Lucernas, teſtetur. *R. S. L. I. C. XVIII. §. 5. et L. VI. c. 49. §. 16.*

§. XXXII.

Ceterum hic non negandum eſt, iſtum Lucernas in Chriſtianorum, et praecipue *Martyrum*, ſepulcris ponendi, cereoſque accendendi, Ritum, initio quidem innocentem, atque innoxium fuiſſe; poſtmodum uero, accedente religionis titulo, ac cultus opinione, in intolerandam, atque indies ferme maiores uires, ac noua incrementa, capientem, ſuperſtitionem degeneraſſe. Ingens enim religio ex hoc ritu, temporum progreſſu, homi-

hominumque, ad uanas ſuperſtitiones procliuium, uitio, ac ſacerdotum praeterea fraude, facta eſt, et miracula etiam huius ratione excogitari coeperunt, adeo, ut, ſi oleum deficeret, diuinitus, ad complendas Lampadas, augeretur. Qua de re commentitiam fabellam, inſignis fabularum architectus, LAVRENTIVS SVRIVS, qui, celeberrimo SCVRZFLEISCHIO iudice, *pleraque in Vitis Sanctorum ex ingenio mutauit, in quo caute legendus, et corrigendus eſt*, *Not. MS. ad* SVR. literarum monumentis conſignauit, orbique erudito obtrudere, allaborauit. In Vita enim PRAEIECTI, Auernorum Antiſtitis, haec habet, obelo utique notanda: *Acceſſit ad eum locum* (ſepulcrum PRAEIECTI, in quo lucerna perpetuo arſiſſe, perhibetur) *Vrſio, praecepitque miniſtro, ut aliquantulum olei in Lampadem Eccleſiae infunderet. Totius olei pondus duas libras non excedebat. Paret uero miniſter, adfert uaſculum cum oleo: et ecce, Domino benedicente, in tantam ubertatem excreuit oleum, ut non modo omnibus templis eius lampadibus implendis ſufficeret, ſed etiam apportatum ſit ad alteram Baſilicam, quam Vrſio in S. Praeiecti honorem exſtruxerat, et triginta lampades inde completae ſint. At nec ſic oleum exhauſtum eſt, ſed ex eo, quod ſupererat, ad alia quoque ſanctorum loca tranſmiſſum eſt, abundeque ſuffecit. Vit. Sanct. Menſ. Jan. p. 420.* ADD. ARINGHVS. *R. S. L. I. c. 18. §. 7. 9.* IOANNES praeterea, Praeſul Romanus, huius nominis tertius, pro auctoritate ſua, quam uendicabat ſibi, *Apoſtolica*, iuſſit, ut Luminaria in *Coemeteriis* ſanctorum *Martyrum* reſtituerentur, ac diebus potiſſimum *Dominicis* lucerent. *Legatur hanc in rem* CAESAR RASPONVS, *de Baſilica, et Patriarchio Lateranenſi, L. II. cap. 4.* PLATINA, *Vit.* IOANNIS III. *P. R. Conf.* B. SCHVRZFLEISCHIVS *Coll. MS. l. c.*

§. XXXIII.

Quum igitur peruersus hic Lucernis, ac cereis, in *Martyrum Memoriis* utendi mos, iam seculo post C. N. quinto inualescere coepisset, nec *Martyres ciuili* tantum *honoris genere*, ac piae recordationis ergo, afficerentur, sed *religioso etiam adorationis cultu*, quem uocant, honorarentur, cordati quidam Antistites, aliique Sacri ordinis Viri, pro puriori doctrina conseruanda strenue propugnantes, officio suo non defuerunt, sed prauam illam consuetudinem altius agere radices uolentem, uehementer improbarunt pariter, ac pro eo, ac par erat, in eam inuecti fuerunt. Quos inter, nescio, an, suo quodam merito, connumerandus sit VIGILANTIVS, quem nimis aspere tractauit HIERONYMVS, acerbo, et, mordaci scripto, cuius supra mentionem iniecimus, eum aggressus. Ille enim Ritui huic, priscorum voluntati, atque *intentioni*, non amplius respondenti, fortiter se opposuit, et quantum ex HIERONYMI, acerrimi eius aduersarii, Epistola, ad *Riparium Presbyterum*, contra VIGILANTIVM, exarata, quum scripta huius omnia temporum iniuria interciderint, diiudicare possumus, honorem, *Martyribus* sua aetate exhiberi solitum, de *Idololatriae* crimine absolui haud posse, grauiter, nec sine ratione, pronunciauit. *Quorsum legi meretur Compendium Hist. Eccles. Gothanum, in quo opiniones eius, quae pernicioſorum errorum, ac criminum, nomine perperam ueniunt, ex ipso* HIERONYMO *bona fide recensentur. L. II. c. 3. Sect. 4. §. 4. Conf.* GVIL. CAVEVS, *Hist. Lit. p. 246. Edit. Geneu. A. CIↃ IↃ CCV.* HIERONYMVS autem, natura acer, et uehemens, tantum abest, ut rationibus, et argumentis, in certamine, de *Martyrum*

uene-

ueneratione, aduerſus Barcinonenſem *Preſbyterum* ſuſcepto, utatur, ut conuictiis, et maledictis, eum inſectetur, optimaque eius dicta in deteriorem partem interpretetur. *Solemne* enim *ipſi eſt*, (*pro ea, qua pollet, rhetoricandi facultate*,) *aduerſariorum argumenta, quibus premitur, uel ſilentio plane praeterire, uel iocis, ac dicteriis, eludere*, iudice doctiſſimo Anglo, GEORGIO BVLLO, *Def. Fid. Nic. p. 123. quae extat. in Operibus, Londini Anno cIↃ IↃ cclii. iunctim a* I. E. GRABIO *publici iuris factis.* Quam etiam, aſperioribus facetiis aduerſarios perſtringendi libidinem, in HIERONYMO notauit, ac reprehendit, magnus noſter CHEMNITIVS, *LL. Theol. P. II. p. 166. et part. III. p. 188. Editionis primae. Add.* CLERC *Bibl. Choiſie, Tom. XXVII. p. 130.*

§. XXXIV.

Equidem HIERONYMVS, ut unicum hoc adiiciam, uenerationem, atque honorem, *Martyribus* praeſtitum, quem iuſtis limitibus circumſcriptum, nunquam illis negauerat VIGILANTIVS, defendens, hoc reſponſo exſoluere ſe, atque extricare, conatur, quod honorem, qui *Martyribus* habeatur, ſummo NVMINI per hos deferri, atque in hoc ueluti terminari, ſcribat. Ita enim ſuam hac de re mentem explicat: *Honoramus reliquias Martyrum, ut eum, cuius ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſeruos, ut bonos ſeruorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui uos ſuſcipit, me ſuſcipit. Ep. LIX. ad Riparium p. 82. Tom. II. Opp.* Quibus uerbis, annon Romani ritus ſectatoribus diſtinctionem λατρείας, et Δουλείας, ac cultum quendam religioſum, *Sanctis* tribuendum, quem *tranſitorium* dixeris, comminiſcendi occaſionem ſuppeditauerit, aut minimum eoſdem in hac ſen-

tentia

tentia confirmare quodammodo potuerit, prudentioribus diiudicandum relinquo. Nos certe, diuiniorum literarum fidem ſequuti, talem cultum ignoramus, ſolumque praepotentem DEVM religioſe honorandum eſſe, nunquam non recordamur, unoque omnes ore profitemur. Aliorum uero hominum, quicunque demum illi ſint, ut interpretum, atque internunciorum, noſtrorum uicem ſuſtineant, minime indigemus, quum ad propitium DEVM, aditu a CHRISTO Seruatore ſemel patefacto, ſummа cum fiducia, ac poſito omni metu, accedere queamus. Hoc, praeeunte, atque in ſacris literis locupletiſſime teſtante, diuino SPIRITV, credimus, et de priſcae, eiuſdemque purioris, *Eccleſiae* conſenſu, quem egregie monſtrauit MARTINVS CHEMNITIVS, *Exam. Concil. Trid. P. III. p. 632.* ſummopere nobis gratulamur. *Martyrum* igitur *memoriae antiquitus nudae recordationis, atque exempli, non cultus, cauſa, neque ab omnibus, celebratae ſunt*, ut rectiſſime, ueriſſimeque, tradit Magnificus, et Summe Reuerendus DN. D. GOTTLIEB VVERNSDORFIVS, Theologus longe celeberrimus, idemque Praeceptor meus, perpetua animi religione colendus. *Coll. MS. de Rit. et Cerem. Sec. IV. C. 4. §. 3.* Quod ceteroquin HIERONYMVS Scripturae S. teſtimonio tueri ſe uelit, in eo uehementer fallitur, propterea, quod Seruator memorato loco, *qui Matth. X. 40. Conf. Luc. X. 16. Io. XIII. 20. non autem Marc. IX. 37.*, ut in margine Opp. HIERONYMI annotatum extat; de doctrina ſua, ab *Apoſtolis* orbi terrarum annuncianda, ſermonem inſtituit, ac minime gentium modum, rationemque, *Sanctos* colendi, Chriſtianis praeſcripſit. Verum enim uero quum argumentum hoc *Theologicum* ſit, copioſius id perſe-

qui

qui nolo, ſed aliis, ad quos potiſſimum ſpectat, perpendendum relinquo. *Vid. interim, poſt Conf. Aug. Art. XXI. et huius Apol. p. 358. Edit. nouiſſimae, a V. Cl. M. C.* REINECCIO procuratae, Io. BEN. CARPZOVIVS, *Iſagoge in Libb. Symbb. pag. 539. ſqq.*

§. XXXV.

Redeo in uiam, et Lucernas, in Chriſtianorum Sepulcris *laetitiae cauſa* accenſas, conſiderare pergo. Quum igitur ignis, lux, atque Lucerna, non *Vitae* ſolum, et *Honoris*, ſed etiam *Laetitiae* Symbolum, apud omnes facile gentes, tam Profanas et Iudaicas, quam Chriſtianas, extiterint, ut fuſius demonſtrauit ARINGHVS, *R. S. L. I. c. 18. §. 3. 4. 5. Add. IVSTVS LIPSIVS, Elect. L. I. c. 3. p. 356, ſeq. Edit. Plantin.* Chriſtiani etiam, accenſis in fidei ſuae, religioniſque, ſociorum Monumentis, Lucernis, publicum *Hilaritatis* teſtimonium, ac documentum, perhibere uoluerunt. Enimuero laetitiae, ac *feſtiuitati*, Lucernas apud ueteres plerumque inſeruiiſſe, uel ſola diuinioris codicis auctoritate, euinci, ac comprobari, poteſt. Quemadmodum enim illarum exſtinctio ingruentium calamitatum ſignum, atque indicium, ibi nominatur, *Iob. XXI, 17. Prou. XIII, 9. XX, 20.* ita uiciſſim ardentes Lucernae laetitiae, ac proſperitatis, ſymbola ſaepiſſime, ſigillatim *Iob. XXIX, 3. Pſalm. XVIII, 29. Jer. XXV, 10. Apoc. XVIII, 23.* conſtituuntur. *Quo de uerboſius legi poterit* DANIEL FESSELIVS, *Adverſ. Sacr. T. II. L. VII. c. I. §. 10.* Chriſtiani itaque, in *triumphi*, ac *uictoriae* ſignum, in *Martyrum*, aliorumque piorum uirorum, Sepulcris, propter peractum ab his uiriliter, ac magno animo, in *Eccleſia militante* certamen, curſumque uitae laudabiliter confectum, inter alia laeti animi indicia, Lucernas quoque, ueluti praemio quodam eos or-

naturi, ſolemni ritu accenderunt, multipliceſque plauſus excitarunt. Etenim inuictiſſimos illos Heroas contra infenſiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes, Satanam iuxta, Tyrannoſque, praeclare, fortiterque, ſtetitiſſe, et diuini SPIRITVS auxilio adiutos, glorioſam ab omnibus CHRISTI, ſuiſque, hoſtibus uictoriam reportaſſe, bene, ſapienterque, ſecum reputabant. Atque hic demum, mea ſententia, iuſtus triumphus, ac uerus, fuit, quum bene de Re Chriſtiana meritis teſtimonium a conſenſu totius ſanctioris Coetus daretur. Inſignis autem hanc in rem locus extat apud aurei oris doctorem, IOANNEM CHRYSOSTOMVM, qui Lucernas noſtras *Laetitiae cauſa* accenſas fuiſſe, egregie confirmat. Ειπὲ γάρ μοι, inquit ille, τί βέλονται αἱ λαμπάδες αἱ φαιδραί; ἆχ ὡς ἀθλητὰς αὐτὰς (τὰς τεθνηκότας, ἢ νεκρὰς) προπέμπομεν. Τί οἱ ὕμνοι; ἀχὶ τὸν θεὸν δοξάζομεν, καὶ εὐχαριςοῦμεν, ὅτι λοιπὸν ἐςεφάνωσε τὸν ἀπελθόντα, ὅτι τῶν πόνων ἀπήλλαξεν, ὅτι τῆς δειλίας ἐκβαλὼν ἔχει παρ' ἑαυτῷ; ἆ διὰ τοῦτο ὕμνοι; ἆ διὰ τοῦτο ψαλμωδίαι; ταῦτα πάντα χαρόντων ἐςίν: h. e. *Dic mihi, quid ſibi uolunt iſtae fulgentes lampades? Annon defunctos, tanquam Athletas, deducimus. Quid etiam hymni? Annon Deum glorificamus, et gratias agimus, quod eum, qui exceſſit, iam coronauerit, quod a laboribus liberauerit, quod abiecto metu eum apud ſe habeat. Nonne ideo ſunt hymni? nonne ideo Pſalmodiae? Nonne ideo Lucernae accenſae? Haec omnia ſunt* LAETANTIVM. *Homil. IV. in Epiſt. ad Ebr. Tom. IV. Opp. p. 453. Edit. Sauilianae.* Ad quae uerba CHRYSOSTOMI I. C. SVICERVS optime monet, hoc ritu ſignificaſſe ueteres, *defunctos deduci, tanquam Athletas quoſdam, qui, deuicto ſeculo, ad ſupremum illum brabeuten, ac deſignatorem, pergant, coronas, ac praemia, acceptu-*

cepturos ſtrenue pugnatarum pugnarum. Theſ. Eccl. V. ταφή. *Conf.* ARINGHVS, *R. S. L. I. c. 18. §. 10.*

§. XXXVI.

Denique alius adhuc, et qui praecipuo loco nominandus erat, Lucernarum Sepulcralium uſus ſupereſt, ex temporum conditione deductus, atque in Coetum Sacrum inuectus. Quum enim prima tria a nato CHRISTO ſecula ſolemnes conuentus, religioſi cultus cauſa inſtituendos, minime ferrent, Chriſtiani *neceſſitati temporum* id dare neceſſe habebant, ut clam *Paganis* conuenirent, ſuiſque ſacris operarentur. Quod ut eo liberius facerent, tutiuſque ſaluti ſuae conſulerent, in *Coemeteriis* ſaepe, ac *Cryptis* ſubterraneis, ſepulcrisque *Martyrum*, noctu congregabantur, atque accenſis, et uſurpatis, Lucernis, pro temporum illorum ratione, diuinis rebus uacabant. Quam deinceps accendendi Lumina conſuetudinem Veteres Chriſtiani conſtanter ſeruarunt, et illis etiam temporibus, quibus miſeriae, et atrociſſimae, quibus exerciti fuerant, Tyrannorum uexationes, finitae uidebantur, nocturnaque, et antelucana, ſacra, quorum cauſa *Lucifugae* a non-Chriſtianis per calumniam dicebantur, celebrari deſierant, in locis religioſis, Templis, Sepulcris, Tumuliſque *Martyrum*, Lucernae ardentes paſſim conſpectae fuerunt. Inprimis autem, pace *Eccleſiae* a Conſtantino Magno reddita, quarto, et inſequentibus, A C. N. ſeculis, uſus Luminis apud Chriſtianos manſit, ab ipſo laudato Imperatore approbatus, ac confirmatus. Hic enim in Magna anniuerſarii CHRISTI, in uitam redeuntis, Sacri Vigilia, non columnas modo, ingentem cereorum multitudinem ſuſtinentes, tota Vrbe erigere, ſed Lucernas etiam in omnibus locis accendere

iuſſit, adeo, ut Vigilia iſta, myſteriorum pleniſſima, ſplendidiſſimo quouis die ſplendidior redderetur, regiaque Vrbs, laetiſſimo ſpectaculo, paſſim colluſtraretur. Quod EVSEBIVS Caeſarienſis, teſtis uiuus, ac praeſens, ſcriptum reliquit. *Vit. Conſtantin. M. L. IV. c. 22. p. 536. Quocum comparandus* H. VALESIVS *Annot. ad h. l. p. 243.*

§. XXXVII.

Atque has fere praecipias cauſas, ac rationes, fuiſſe, puto, quibus adducti Chriſtianis ſacris initiati, Lucernas Sepulcrales uſurparunt. Quas, ſi legitimus in illis adhibitus fuerit modus, non improbandas, ac multo minus prioribus ſeculis iis uſos impietatis, aut ſuperſtitionis, arguendos, cenſeo. Quod uero eruditiſſimus Vir, MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS, dubitanter tamen, aſſerit, Ritum hunc, vel ex ea Profanorum opinione, *qua animas corporibus ſuis, terra conditis, continuo aſſidere, exiſtimarint, dimanaſſe*; uel etiam *ex ſtolida, ſed quae ex nimia in defunctos pietate nata, perſuaſione, qua ſenſum adhuc aliquem defunctis reſtare, crediderint, profectum eſſe, Quaeſt. Rom. XI. apud* GRAEVIVM, *Tom. V. Antiq. Rom. p. 934;* id nunquam mihi perſuadere, neque ſententiae, aut coniecturae, eius ſubſcribere poſſum. Non enim eſt ueriſimile, Veteres Chriſtianos, ſanctiorum literarum cognitione imbutos, intolerandas priſtinae ſuperſtitionis reliquias in noua, quam amplexi erant, religione retinuiſſe, ac tales quidem, quae ſanctiorum Oraculorum fidem, euerterent, et δὶς διὰ πασῶν cum iiſdem pugnarent. Accedit, quod, priſcos Chriſtianos, memoratas opiniones fouiſſe, nullo idonei Scriptoris teſtimonio facile firmabitur. Interea tamen, *Gentilitatem maculam fuiſſe, tam eluì pertinacem, ut ueſtigia eius remanſerint diutiſſime,*

tissime, et dum in fidei summam consentirent gentes, multa illis primos religionis Antistites, et Institutores, condonasse, cum illustri ICto, CLAVDIO CHIFFLETIO, *in Vita Ammiani Marcellini, quae in Gronouiana hujus Editione A. CIↃ IↃ C XCIII. in lucem emissa, continetur;* perlibenter concedo.

§. XXXVIII.

Ceterum alias, occultiores paulo, et *Mysticas*, causas consulto praetereo, quum harum plurimae excogitari queant. Non enim me fugit, quosdam defunctorum Tumulos Luminibus ideo collustratos fuisse, existimare, quod, Luminum instar, in his terris fulserint, iamque in caelo,

Velut inter ignes
Luna minores,

luceant, ac coruscent. In quam sententiam Io. MOLANVS haec scribit : *Nos protestamur, sanctos illos, ante quorum imagines cereos accendimus* (in quorum Monumentis Lucernas ponimus) *luxisse, dum uiuerent in medio nationis peruersae, uelut luminaria in hoc mundo; nunc uero ex isto loco caliginoso eosdem peruenisse ad locum claritatis aeternae, ubi Agnus, qui in medio throni est, eos illuminat, ut in Psalmo ;* Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia. *Psalm. XCVII, 11. L. II. c. 41. de Pict. et Imag. Sanct.* Quibus gemina sunt, quae P. ARINGHVS de Lucernis, et Luminaribus, in Christianorum Sepulcris, et Funeribus, adhibitis, memoriae, ac literis, mandauit. Praeter alias enim rationes id factum esse putat, *ad propinandam quodammodo intuentium oculis, insinuandamque, ipso lucis, ac claritatis, aspectu, perennium gaudiorum felicitatem, quibus post hanc uitam animae perfunduntur, et ad procul arcendas, uiuificae lucis symbolo, ipsas, quae nos iugiter impetunt, tenebrosae huius regio-*

regionis poteſtates; et demum ob complura alia Myſteriorum arcana, quae erudite ſatis a Scriptoribus elucidentur. R. S. L. I. c. 18. §. 10.

§. XXXIX.

Quum autem inſequentibus temporibus Lucernas in Sepulcris collocandi mos nimium inualeſceret, multaque incommoda ſecum ferret, ueteris *Eccleſiae* doctores, ſub initium ſeculi A C. N. quarti, uoce pariter, ac publicis ſcriptis eum mature coercendum, et arctioribus limitibus quaſi cohibendum, duxerunt. Namque, ante VIGILANTIVM, de quo ſupra dictum eſt, *Epiſcopi, Preſbyteri,* ceterique, Anno CCCV in *Synodo* Eliberitana, ab Eliberi, Hiſpaniae Baeticae urbe, prope Granatam, quae hodie regni huius caput eſt, olim ſita, nomen adepta, diſciplinae *Eccleſiaſticae*, quae multum detrimenti ceperat, inſtaurandae, morumque Chriſtianorum emendandorum cauſa, congregati, cereos, ac Lucernas, in *Coemeteriis*, et ſepulcris, noctu accendere, prohibuerunt, ac ſpeciatim feminas, ob facinora, atque adulteria, frequentius commiſſa, Vigiliis, ibi celebrari ſolitis, intereſſe, facto, et promulgato decreto, noluerunt. *Vid. Acta Concilii Eliberitani Can. XXXIII. et XXXIV. quae extant Tom. I. Concil.* a PHIL. LABBEO et GABR. COSSARTIO *edit. p. 974. ibique Not. p. 985. Conf.* IOACHIMVS HILDEBRANDVS, *Hiſtor. Concil. pag. 50.* Sed enim uero Lucernarum Sepulcralium uſum ab eo tempore apud Chriſtianos ceſſiſſe, eumque Ritum penitus antiquatum eſſe, nondum euincitur, ac diuerſum potius ex iis, quae antea ex EVSEBIO retuli, patere, arbitror. Etenim non multo poſt, ac ſeculo potiſſimum quinto, maiora incrementa haec conſuetudo ſumpſiſſe, atque a ſapientioribus magis tolerata, quam approbata fuiſſe, uidetur. Quae copioſius deducere,

cere, ac fusius explicare, non est animus, quum instituti mei sit, remotiora tempora persequi, Lucernasque Christianorum, antiquitus usurpatas, inuestigare. Id tamen non omittendum puto, quod posterioribus temporibus *Sanctis*, et *Martyribus*, ferme solis hic honor habitus, in eorumque Monumentis Lucernae accensae fuerunt. Qui mos, inualescente sanctorum cultu, diutissime durauit, atque etiamnum in Coetu Romano seruatur. Nostri uero, emendatorum sacrorum instauratores felicissimi, istum etiam Ritum neglexerunt, illoque, ne forte ad *idololatriam* fenestram rursus patefacerent, penitus sese abstinuerunt. Defunctorum tamen Regum, Principumue, atque Illustrium Virorum, corpora, in Pompa funebri, siue *Castro doloris*, quod uocant, omnium conspectui exposita, accensis cereis apud nos quoque honorantur: quos si quis huc referre uoluerit, non magnopere repugnabo.

§. XL.

Haec igitur de *causis* Lucernarum Christianorum Sepulcralibus aliquo modo sufficere poterunt: nunc uero ad ultimum Dissertationis caput progredior, accuratiorem quarundam commemorationem, ac descriptionem breuissimam, subiuncturus. De quibus generatim obseruo, eas, affabre, atque antiquo artificio, factas, uariis figuris, symbolis, characteribus, atque imaginibus, notisque *Hieroglyphicis*, per quas ueteres, Aegyptios imitati, sensus mentis effingere solebant, exornatas, itemque Ritus, et sacras Historias, in illis expressas fuisse. Speciatim uero pleraeque consueto Crucis signo, σωτηρίῳ, νικοποιῷ, ζωοποιῷ, σημείῳ, et σωτηρίᾳ τροπαίᾳ συμβόλῳ, ut EVSEBIO audit, *Vit. Constantini M. L. II. c. 16. L. IV.*

c. 21. et Laud. Conſt. M. p. 628. cuius multiplex apud priſcos Chriſtianos uſus fuit, notatae, conſpiciendas ſeſe praebent. Praeterea etiam ſacroſanctum CHRISTI nomen, binis Graecorum characteribus X & P, iunctis inter ſe, atque unitis, expreſſum, in illis ſaepe deprehenditur, et iucundus eius aſpectus ante intuentium oculos uerſatur. *Vid.* ARINGHVS, *loc. cit. Tom. I. pag. 295.* Quod argumento eſt, Veteres Chriſtianos, quum uiderent, a *Paganis* Lucernas Sepulcrales commentitiis, et fictis, Diis non raro dicatas fuiſſe, teſtante BEGERO, *Parte II. Lucern. Ant. Sepulcr. Gentilium DEos, in Lucernis Sepulcr. impreſſos, complexa;* eaſdem Seruatori ſanctiori ritu conſecraſſe. Cuiusmodi Lucernae, CHRISTI nomen inſcriptum praeferentis, atque a PAVLO PETAVIO, ICto Gallo, in Libro, quem *Antiquariae Supellectilis Portiunculam* nuncupauit, memoratae, mentionem fecit LICETVS *l. c. pag. 215.*

§. XLI.

Oblata autem hic de Lucernarum Dedicatione agendi occaſione, non alienum, aut ſuperuacaneum, erit, accuratius diſpicere, quorum nominibus uulgari, et uſitatiori, more fuerint inſcriptae. Obſeruo igitur apud harum antiquitatum Scriptores, ipſos demortuos, quibus conſecratae erant, in iiſdem plerumque nominatos fuiſſe. Quod teſtimonio ſuo comprobat IVLIVS IACOBONIVS, Lucernamque Sepulcralem Chriſtianam L. CAESAE nomine inſignitam, atque in admirabili VLYSSIS ALDROVANDI, Philoſophi, ac Medici, ſua aetate praeſtantiſſimi, Muſeo aſſeruatam, exempli loco affert, *apud* LICETVM *l. c. p. 9. Conf. pag. 215.* Conſimilis Lucernae, olim Bellorianae; hodie uero Prutenico-Brandenden-

denburgicae, BEGERVS meminit, quae defuncti, in cuius tumulo posita fuit, nomen exhibet, et memorabili NONI ATTICI V C ET INLVSTRIS, inscriptione nobilitatur. *Habetur illa, in aes eleganter incisa, in Lucernis Begerianis, estque in Parte III. uicesima quarta.* Tum uero et amicorum, qui mortalitate interceptos praecipue dilexerant, nomina in Lucernis, horum Sepulcra colluſtrantibus, conſpecta nonnunquam fuerunt. Documento ſit Lucerna fictilis, DONATI nomine inſignita, quam hic in defuncti amici monumento accendi curaſſe, perhibetur. *Vid.* LICETVS *loc. cit. pag. 207. et 215.* Quorſum etiam XXXI. *Partis III. Lucern. Sepulcr. Icon.* Begeriana, qua de infra pluribus agam, referri poſſe ui- §. XLIV.
detur. Denique et artificum, a quibus Lucernae factae, ſeruorumque, qui mortuis dominis liberaliter ſeruierant, nomina in Lucernis noſtris ab harum rerum peritis animaduerſa, ac notata, eſſe, uideo. *Conf.* LICETVS *l. c. p. 215.* De quibus autem poſtremis, utrum Chriſtianis; an uero *Gentilibus* uindicandae ſint? quum idonea, et quae falli non poſſunt, eius rei argumenta non ſuppetant, nihil temere affirmare auſim.

§. XLII.

Reſtat autem, ut, ex ingenti Lucernarum Veterum Chriſtianorum Sepulcralium numero, aliquot, notatu digniores, in medium afferam, et, ſubiuncta breui earundem deſcriptione, curioſis, harumque antiquitatum cupidis, lectoribus accuratius conſiderandas exhibeam. Primo igitur loco Lucernam Palmarum, quam a CASALIO mutuo ſumptam, in ſuos de *Reconditis Antiquorum Lucernis* commentarios retulit, atque in aes incidi curauit, eruditiſſimus LICETVS, commemorandam puto. Eſt

uero rotunda, ac duobus palmae ramis, in operimento eleganter expreſſis, exornata, quae in *Martyris* cuiuſdam Monumento quondam collocata fuit. Cuiuſmodi Lucernarum, palmis decoratarum, inuentionem, atque excogitationem, ueteres Chriſtiani a diuino *Apoſtolo*, IOANNE, forte habuerunt: quippe a quo *beatis*, magnis, multiplicibuſque, calamitatibus in uita perfunctis, palmae, quas in manibus geſtant, attribuuntur. *Apoc. VII, 9.* Palmae enim, *Martyrum* Sepulcris uariis locis inſculptae, victoriae, ab omnis generis hoſtibus reportatae, ſymbolum atque indicium, ut ſupra etiam demonſtratum fuit, extiterunt. Hinc perantiquus, et paſſim in Veteri *Eccleſia* receptus, mos fuit, ut *Martyrum* imagines, Palmas in manibus habentes, pingerentur. *Quo de copioſius legi poterit* P. ARINGHUS *R. S. Tom. II. pag. 343. Conf. Tom. I. p. 342.* Quum uero non de ſolis *Martyribus*, ſed omnibus promiſcue *beatis*, memoratus IOANNIS locus commode intelligi, atque explicari poſſit, ac debeat, quam interpretationem et NICOLAVS LYRANVS admittit; uehementius cum eo altercari nolim, qui alios quoque, pie placideque defunctos, palma, eximio uictoriae ſigno, a priſcis Chriſtianis honoratos eſſe, contendat. Vere interim, recteque, hac de re iudicat LICETVS, cuius uerba hic aſcribere non grauabor, ita pronuncians: *Licet communiter palmae ponantur in manibus Martyrum per quandam appropriationem, et excellentiam: tamen omnibus beatis debentur, quorum uita fuit militia ſuper terram, de qua morientes exierunt cum victoria, qua ſuperarunt hoſtes inuiſibiles, atque uiſibiles, daemonem, Mundum, Carnem. Et Eucherius apud Pierium oſtendit, Palmam eſſe ſymbolum, nedum Martyrum, ſed omnium piorum. l. c. p. 927. 928.*

§. XLIII.

§. XLIII.

Ab hac uero Lucerna non multum diuersa est elegantissima alia, ab eodem LICETO *p. 1133. sqq.* memorata, quam in *Martyris* tumulo arsisse, multa ostendunt, ac persuadent. Fictilis ea est, figura oblonga, ac rotunda, praedita, effigieque iuuenis alati, altera manu Lauream; altera uero Palmam tenentis, conspicua, quam in agro Atestino, anno superioris seculi XLV. a rustico inuentam Sertorius Vrsatus cum LICETO communicauit. Enimuero iuuenis, alis instructus, Genium quendam caelestem, *Martyres*, in summis angustiis constitutos, atque atrocissimis Tyrannorum uexationibus exercitos, ad constantiam, ac perseuerantiam, propositis pulcherrimis praemiis, excitaturum, repraesentare uidetur. Quum enim *Angelus* de caelo descendisse, et CHRISTO, qui intimis sensibus nostri causa angebatur, uehementissimis precibus DEVM oranti, consolationem adhibuisse, apud LVCAM, Historiae *Euangelicae* Scriptorem legitur, similique felicitate *Martyres*, nascentis *Ecclesiae* temporibus, gauisi dicuntur; non pictores modo illorum, piis subsidio uenientium, certamque uictoriae spem facientium, imagines in tabulis effingere, sed alii etiam artifices nominatos *Angelos* in suis operibus exprimere studuerunt. Equidem LICETI inclinat animus, ut arbitretur, Lucernam hanc, alatae uictoriae simulacro conspicuam, in Romani militis tumulo repertam, minimeque Christianis accensendam esse, propterea, quod salutari Crucis signo, quod a Christianis non omissum fuisset, destitueretur. Sed enim uero, generatim loquendo, id uerum non est, quum nonnullae, in Christianorum monumentis inuentae, atque ab omnibus pro ueris germanisque agnitae,

habeantur, in quibus laudatum ſignum non comparet. Quod ſi enim ex aliis, ac luculentis, indiciis manifeſtum eſt, a Chriſtianis eas adhibitas fuiſſe, tam neceſſarium, mea ſententia non erat, ut Crucis charactere Lucernae ſemper inſignirentur. Ac fieri etiam potuit, ut Crucis forma, in manubrio forte poſita, aut confracta, aut alibi extans, fuerit deleta. Qua de re beneuolis lectoribus liberum ſtatuendi arbitrium permitto, eoſque ad LICETVM, pro diuerſa ſententia operoſius propugnantem, ablego. *Vid. l. c. p. 1129. ſqq.*

§. XLIV.

Sequitur itaque tertia Bilychnis, nauem, explicatis uelis inſtructam, repraeſentans. In media naui erectus malus conſpicitur, in cuius faſtigio haec uerba leguntur:

DOMINVS. LEGEM
DAT. VALERIO. SEVERO
EVTROPI. VIVAS.

Praeterea autem duo uiri in naui comparent, *Apoſtolorum* in morem ueſtiti, quorum alter, tanquam ſermonem ad alios facturus, in prora conſiſtit, alter uero in puppi ſedet, nauemque gubernat. Quae omnia a uariis ſcriptoribus diuerſas in partes ſolent explicari. Communior plerorumque, quantum ad datam inſcriptionem attinet, ſententia eſt, Valerium Seuerum, ex hac uita diſceſſurum, memoratis uerbis Eutropium, amicum ſuum in paucis, ualere iuſſiſſe. Quamobrem, pleniorem illorum interpretationem ſuppeditantes, dicunt, quod Valerius, relictis profanae ſuperſtitionis ſacris, Chriſtianae religionis praeceptis imbutus, mortem tanquam legem, a Domino ſibi impoſitam, conſtanti animo

mo expectarit, toto pectore precatus, ut Eutropius, amicus ipsius singularis, longiori uita frueretur. Quem morem apud Veteres usitatissimum fuisse, animamque iam efflaturos, in grati, propensique, animi testimonium, necessarios, ac propinquos, lectum circumstantes, sequentem in modum alloquutos esse: VIVITE, AC VALETE; nemo facile ignorabit. Ex contraria autem parte BEGERVS, Valerium, relicta *Gentilium* superstitione, nouam a Domino legem sibi, omnibusque, qui recto cursu, pleniſſimisque uelis, cum CHRISTO, rectore nauis, nauigare uelint, de abiiciendis erroribus datam, promulgatamque, se accepisse, arbitratum esse, coniicit, ac penitus sibi persuadet. Quae quidem speciosa, atque erudita, explicatio est; sed postremas uoces prorsus intactas relinquit. Itaque priori sententiae, quae Auctorem agnoscit MICHAELEM ANGELVM DE LA CHAVSSE, subscribere malo, quum planior sit, nullaque in ea difficultas supereſſe, uideatur. De hominum uero figuris, quas in naui uidemus, maior disceptatio oritur, quique a dictae Lucernae inuentoribus sigillatim denotati sint, haud facile dictu est. Quidam enim PETRVM, et ANDREAM, fratres, in ea se deprehendisse, putant, mortuique in hosce *Apostolos* pietatem Lucernam hanc significare debuisse, contendunt. Quam sententiam perlibenter amplectuntur Romani Praesulis assecłae, quos inter nominatim CAVSEVS eam defendam suscepit. Alii uero CHRISTVM ipsum intelligunt, qui, Petri nauim conscendens, sanctum, et dictis suis obsequentem, coetum elegerit, Mosequе misso, Iudaeorum ceremonias, ac traditiones, quibus nimium haec gens tribuebat, sustulerit, atque antiquarit. Quor-

ſum referunt haec D. AMBROSII, de CHRISTO loquentis, uerba: *Petri nauim eligit, Moſis deſerit: hoc eſt, ſpernit Synagogam perfidam, fidelem aſſumit Eccleſiam;* quae extant apud BEGERVM *Part. III. de Luc. Icon. p. 10.* Plura de celebri hac Lucerna qui legere uoluerit, adeat laudatos ſcriptores, CAVSEVM, *Diſſ. de Aeneis Antiqu. Lucernis, quae habetur Tom. XII. Theſauri Ant. Rom. Graeuiani, p. 983.* et BEGERVM *l. c.* ubi Lucernam iſtam, eleganter in tabula expreſſam, exhibuit pariter, ac doctiſſimis obſeruationibus locupletauit. Ceterum commemorabilis ea Lucerna ex Montis Celii ruinis Romae extracta, atque a Leopoldo Mediceo, Romanae ſedis purpurato, Florentiam tranſlata eſt, ubi in incomparabili Magni Etruriae Ducis Antiquarum rerum theſauro etiamnum aſſeruatur.

§. XLV.

Excipit hanc quarta, in qua, in celeberrimo Calliſti *Coemeterio*, in Via Ardeatina Romae reperta, bonum, fidumque, Paſtorem, ueſtitu *Apoſtolico* indutum, ouemque humeris ſuis ſuſtinentem, cernimus. Ipſe autem Seruator noſter longe dilectiſſimus, in Paſtoris figuram, habitumque, formatus, in ea comparet, quippe qui cum Paſtore, de ouium ſalute perquam ſolicito, in diuinioribus Literis ſeſe contulit, ac uitam pro his profundere, non recuſauit. *Io. X, 12.* Veteres igitur permagnum hoc CHRISTI beneficium conſtanti memoria recolentes, Seruatorem ſub Paſtoris, aberrantem ouem, Chriſtiani gregis ſymbolum, ad ouile reportantis, imagine, ſaepenumero pingere, atque exprimere, conſueuerunt. Speciatim uero in ſacris Calicibus effigiem iſtam in aes incidi curarunt, ſacerdotes admonituri, ut in ſtudio, curaque

que, de animarum, fidei ſuae concreditarum, ſalute procuranda, CHRISTVM magiſtrum imitari ſtuderent. Quod TERTVLLIANVS, ac BARONIVS teſtatum fecerunt, apud BEGERVM *l.c. p.8,9.* Quacum Lucerna comparanda etiam eſt XXIX BEGERI, CHRISTVM, eadem forma conſpicuum, exhibens, ac compluribus praeterea figuris, ſole, luna, VII. ſtellis, totidemque ouibus, ad paſtoris ſui pedes ſtantibus, Arca Noachi cum columba, Iona Propheta, e ceto egreſſo, et ſub cucurbitae umbra quieſcente, exornata. Quae omnia egregie, atque, ut ſolet, docte BEGERVS interpretatur. Vidi eam Berolini, quo uerum, germanumque, exemplar, cum Belloriano Theſauro, Roma deportatum fuit.

§. XLVI.

Succedit quinta, aenea, quae Crucis ſigno, cui columba inſidet, in poſteriore parte extante, ab aliis diſtinguitur, atque in *Coemeterio* Calliſti reperta, *ab* ARINGHO, *R.S.T.I. p.301.* ſuppeditatur. Columba enim auis a priſcis Chriſtianis magno in pretio habita fuit, ac diuini maxime SPIRITVS notiſſimum extitit *Hieroglyphicum*, propterea quod hunc, columbae ſpeciem indutum, de caelo deſcendiſſe, ac Ioanni Baptiſtae, quum CHRISTVM Iordanis flumine abluiſſet, conſpiciendum ſe praebuiſſe, ſanctiores Hiſtorici, ad unum omnes, teſtantur. *Vid. Matth. III, 16. Marc. I, 10. Luc. III, 22. Io. I, 32.* Non ſolum autem SPIRITVS S.; ſed totius etiam Chriſtiani Coetus ſymbolum fuit columba, utpote quae, ex praeſcripto Seruatoris noſtri, pios monere debuit, ut ſimplicitati, innocentiae, atque integritati uitae, ſedulo operam darent, mutuoque ſe inuicem amore complecterentur. Hinc ue-

teres

teres Columbae imagine tantopere delectati sunt, ut tam titulis sepulcralibus eam diligenter insculpere, quam in Lucernis exprimere, atque integras etiam, in columbae figuram formatas, conficere studerent. Cuiusmodi Lucernam, a CASALIO acceptam, ARINGHVS exhibet, *R. S. T. II. p. 324.* Praecipue uero uirginum, ac puerorum, qui praematuram mortem obierant, innocentiae testimonium perhibituri, in eorum tumulis columbas ponere, hisque Lucernas quoque exornare consueuerunt. *Conf.* ARINGHVS *R. S. L. VI. c. 35.* CAVSEVS *pag. 981.* LICETVS *p. 871. sqq.* BEGERVS *p. 7, 8. ll. cc.*

§. XLVII.

Sexto, ac postremo, tandem loco, Lucernam Gryphi, Crucem in capite gestantis, in publicum propono. Caput, collumque, Gryphi manubrii loco est, et celeberrimum Nominis CHRISTI *Monogramma*, quo, in caelo monstrato, Constantinus M. primum usus esse fertur, in utroque Lucernae latere habetur. Quum enim apud antiquiores *Gentiles* monstrosa haec auis *solis symbolum* fuerit; ueteres etiam Christiani, CHRISTVM, solem illum diuinum, incomparabili suo splendore mundum illustrantem, terribilesque *Inferni* tenebras dissipantem, hoc *Hieroglyphico* forsitan adumbrare, animum induxerunt. Alii uero Gryphum in antiquis monumentis, ac Lucernis, expressum, *custodiae symbolum*, eumque in finem a ueteribus in sepulcris adhibitum esse, ut ab horum uiolatione profanos homines arceret, memoriae prodiderunt. Rationem hanc habent, quod Gryphi, aues fabulosae, PLINIO *Lib. I. c. 49. H. N.* memoratae, anteriore corporis parte Aquilae similes; posteriore autem Leonis speciem prae se ferentes, aurum ex Hyperboreis mon-

montibus effodere, aduenaſque, auferre illud conantes, diligentiſſime ab eo prohibere, ueteribus crediti fuerunt. Hinc POMPONIVS MELA in Scythiae Europaeae deſcriptione: *Gryphi*, inquit, *ſaeuum, et pertinax, ferarum genus, aurum, terra penitus egeſtum, mire amant, mireque cuſtodiunt, et ſunt infeſti attingentibus. L. II. c. 1.* Quam coniecturam in medio relinquo, et priorem opinionem, propoſito meo magis inſeruientem, lubentius amplector. Legantur interim Scriptores ſaepius excitati, CAVSEVS *p. 981, 982.* BEGERVS, *Lucernae XXV. Deſcript. Part. III. p. 7. Conf. idem P. II. p. 9.* ARINGHVS *Tom. I. p. 301. ſq. et* LICETVS *p. 954. qui memoratam Lucernam* nullius capacem eruditionis, *adeoque uerboſiore deſcriptione indignam eſſe, perperam tradit.*

§. XLVIII.

Omnes autem, tam *Paganorum*, quam Chriſtianorum, Lucernae Sepulcrales, huc uſque commemoratae, uel *penſiles*, uel *conſiſtentes*, ſiue *ſeſſiles*, qua uoce alicubi LICETVS utitur, fuerunt. Quod illarum figurae, atque exempla, a nominatis Scriptoribus magno numero ſubminiſtrata, ſatis ſuperque docent, ac demonſtrant Penſiles, compluribus ſaepe catellis conſpicuae, non ſolum ad arcuata Monumentorum opera adhaeſerunt, ſed et de muris, ac parietibus, ante demortuorum loculos, atque urnas, pependerunt. In quibusdam enim Sepulcris, Romae in Via Appia, atque Ardeatina, repertis, ferrum adhuc in muris obſeruatum eſt, ex quo Lucernae ardentes, ut caliginoſa iſthaec aedificia illuſtrarentur, ſuſpenſae fuerunt. Conſiſtentes uero uariis ibidem in locis idoneis, ac prominentibus lapidibus, collocabantur. Quam in rem conferri meretur P. ARINGHVS, qui admirandum Calixti, aliorumque *Martyrum, Coemeterium*, innumerabilibus fere cellulis, ac conclauibus, ſubterraneis conſtans, atque ab BOSIO in Via Appia, et Ardeatina, detectum, deſcribens, ingentem Lucernarum multitudinem in eodem deprehenſam fuiſſe, locupletiſſimus auctor eſt. *l. c. Tom. I. p. 300. ſq.* ubi ſigillatim obſeruat, Lucernas haſce tenebroſas Monumentorum cauernas luce compleuiſſe,

ac Veteribus Christianis, Vigilias Martyrum celebrantibus, sacrisque Epulis uescentibus, insignem, ac praecipuum, usum praebuisse. §. XLIX.

His itaque rite, atque ordine, ad quem in Principio Dissertationis me alligaui, accurate obseruato, huc usque pertractatis, acquiescere, finemque labori meo imponere possem. Ne uero quicquam, paulo difficilius, a me consulto praetermissum uideatur, celebrem quoque de Lucernis, perpetuo, ac sine ullo ignis nutrimento amplius addito, ardentibus, controuersiam ex abundanti adiiciam, eandemque pauciss-imis attingam. Mota, illa fuit superiori maxime Seculo, atque inter uiros, fama, et eruditionis laude multo clarissimos, magna animorum contentione agitata, tandemque solidis rationibus, atque argumentorum ponderibus, dirempta pariter, ac diiudicata uidetur. Quidam enim Lucernas Veterum Sepulcrales oleo, similiue materia, semel infuso, in Monumentis perpetuo arsisse, ac sempiternum luce orbatis fulgorem foeneratse, publicis scriptis testati fuerunt. Contra uero alii acriter sese hisce opposuerunt, et uulgaris sententiae falsitatem, uariis, firmisque, rationibus ostendere, ac demonstrare, allaborarunt. §. L.

Vt autem totius controuersiae summam quiuis intelligat, statum, in quo causa maxime uertitur, recte prius formandum, atque ordinandum, iudico, quam certi quid de ea definiatur. Non itaque in praesentia sermo est de Lucernis Sepulcralibus, quas antiqui in suorum tumulis accensas, dato iis semper nouo oleo, diutissime saepius ardentes conseruari curarunt. Neque de materia, siue massa, uasculo quodam incluśa, atque in Sepulcro a Veteribus collocata, quae in tenebris semper, aut per longissimi temporis decursum, splendere, ac lucem emittere potuerit, hoc loco disquiritur. Quum enim nostra memoria huiusmodi massam, *Phosphori*, *ac Lucis perpetuae*, nomine insignitam, a sagaciss-imis naturalium rerum scrutatoribus, inuentam, atque adornatam esse, optime norim

a qui

a quibusdam forte existimari poterat, priscos eius generis materiam, aut certe ab illa non admodum discrepantem, praeparandi artem calluisse, eaque in Lucernis praecipue Sepulcralibus usos fuisse. Ac de *Phosphoro* quidem, qua ratione conficiatur, legi meretur Vir Magnificus, atque Experientissimus, DN. D. CHRISTIANVS VATERVS, Patronus, atque Hospes meus, perpetua animi religione colendus, ac maximopere obseruandus. *Physiol. Experiment. Sect. II. c. 8. de Luce et Lumine pag. 150.* Verum de Lucernis, singulari oleo instructis, atque ita adornatis, ut sine noui fomitis accessione perpetuo ardere queant, hic agitur iuxta, ac disceptatur. Quod oleum, ui ignis natura sua acerrime resistens, et huius flammis conflagrari nesciunt, *asbestinum*, et *incombustibile*, appellare consueuerunt, Lucernas, eo repletas, per aliquot secula nonnunquam arsisse, arbitrati.

§. LI.

Cuius sententiae Patronorum eo potissimum inclinat animus, ut arbitrentur, Veteres Lucernas, tali oleo, aut praestantissimo liquore, ardentes, intra terrae uiscera diutissime duraturas, in Sepulcris, solicite, ac diligentissime, clausis, Vrnis etiam, *Phialisque* uitreis, ac muris, undique contra externi aeris ingressum munitis, collocasse, quae uehementioribus aeris mutationibus, ac uariationibus, haud obnoxiae, lumen suum longissimo tempore facilime conseruarint. Quam in rem permultas de Lucernis, sempiterna luce fulgentibus, narrationes proposuerunt, ac nominatim de Lucernis ueterum Aegyptiorum perpetuo ardentibus, de Lucerna Tulliolae, Ciceronis filiae, PAVLI III. P. R. temporibus in Sepulcro adhuc ardente uisa, quae crassiori aeri exposita, confestim extincta fuerit, de Lucerna Pallantis cuiusdam, Seculo XV. ineunte, HENRICO III. Caesare imperante, prope Romam in Sepulcro inuenta, de aurea Callimachi Lucerna, integrum annum ardente, atque Athenis Mineruae consecrata, de Lucerna Maximi Olybii Atestina, aliisque, mira literis consignarunt.

§. LII.

Speciatim uero Lucernas, perpetuam, et nullo unquam tempore interituram, flammam edentes, olim extitisse, atque in hunc quoque diem confici posse, multi contenderunt, et pro hac sententia, tanquam pro aris focisque certantes, propugnarunt. In quorum numerum referri possunt HERMOLAVS BARBARVS *L. V. Coroll.* BERNARD. SCARDEONIVS *L. I. Antiqu. Patauin.* GVIDO PANCIROLVS *Rer. Memorab. Deperd. P. I. Tit. 35.* HENR. SALMVTHVS, *in Not. ad Pancirol. p. 124.* IVL. IACOBONIVS *ad Font. Comment. de Caes. Gente*, HIER. RVSCELLIVS, *Lib. de Clar. Virorum Insignibus.* IO. BAPT. PORTA *Lib. XII. c. ult. de Magia Nat.* RAPH. VOLATERANVS *Comment. Vrban. L. XXXIII.* SEB. FOXIVS *ap.* LIC. *p. 33.* F. MATVRANTIVS *Epist. ad Alpheum*, IO. COSTAEVS, *Disquis. Physiol. Lib. I. cap. 12.* ALEX. TASSONIVS, *Quaest. Var. L. X. qu. 26.* atque complures, quos recenset, eorumque uestigiis insistit FORTVNIVS LICETVS, in eximio, atque eruditissimo opere, quod de *reconditis Antiquorum Lucernis inscripsit*, ac primum Venetiis A. CIↃ IↃ CXXI. deinceps autem Vtini A. CIↃ IↃ CLIII. additis V. et VI. libris, auctius multo, atque emendatius, in lucem prodire iussit. Hic enim totus in eo est, ut ignis perpetui inuentionem ueteribus cognitam fuisse, doceat, atque eruditos in suam sententiam deducat. Quocum etiam faciunt FRANC. CALCEOLARIVS, *Veronensis, in Museo suo, p. 716, 717.* MICHAEL ANGELVS CAVSEVS DE LA CHAVSSE, *Diss. de Aen. Ant. Luc. pag. 987. sq.* M. ZVERIVS BOXHORNIVS *Quaest. Rom. XI. ll. cc.* et GISBERTVS VOETIVS, *Dispp. Sel. P. I. p. 669, seqq.* ut reliquos omittam.

§. LIII.

Res itaque huc redit, ut existiment, Veteres liquorem quendam conficiendi artem nouisse, qui olei uice in Lucernis, perpetuo in Sepulcris arsuris, functus, uel nunquam, uel non nisi exacto longissimi temporis interuallo, ab igne fuerit absumptus. De quo liquore asserunt, quod ignem temperamento

mento ſuo aequans, ui, atque efficaciae huius, pertinaciſſime reſiſtere, ac nunquam per halitus aſcendens, ignem, ueluti uinculis, ac compedibus, conſtrictum, continere, et ne ad ſupera conuexa euolaret, prohibere, potuerit. Etenim primo loco materiam illius lentam, ac perquam glutinoſam, uocant, quae ita comparata fuerit, ut difficulter admodum ab igne, alioqui rapidiſſimo, ſit conſumpta. Deinde uero minimam in eo exſpirationem, ſiue *exhalabilitatem*, ut loqui amant, praedicant, quum omnia, quae facile uaporem emittant, in halitus, ac fumos, ab igne ardente ſtatim commutentur. Denique eius eſſentiam puriſſimam, ſimpliciſſimamque, et *Homogeneam*, uocant, propterea, quod *Homogenea* flammis diutiſſime reſiſtant; *Heterogenea* uero, atque ex diuerſis rebus conſtantia, ab igne facilime ſuperentur. At enim uero materiam, memoratis uiribus inſtructam, priſciſque perfamiliarem, parandi rationem hodie ignorari, plurimi conqueruntur. De ea enim HIERON. FRACASTORIVS, Poeta, Philoſophus, ac Medicus, Seculo XVI. inter Italos celeberrimus, ita cecinit:

Quam tamen, aeternum quoniam dilabitur aeuum,
Non ſemel in terris uiſam, ſed ſaepe, fuiſſe
Ducendum eſt quanquam nobis nec nomine nota,
Hactenus illa fuit, quoniam longaeua uetuſtas
Cuncta ſitu inuoluens, et res, et nomina, delet.
Nec monumenta Patrum ſeri uidere Nepotes.

apud LICETVM *p. 251.* qui tamen de FRACASTORIO prorſus ſiluit, nomenque eius ſuppreſſit. Interea uero huiuſmodi materiam, *Chymiae* ope, ex Lapide Caryſtio, Aſbeſto, Amianto, ac Metallis, hodieque extrahi poſſe, LICETO perſuaſiſſimum fuiſſe uidetur.

§. LIV.

Verum apud prudentiores tanta auctoritate LICETVS non ualet, ut opinioni eius illico adſtipulentur. Hi enim magno argumentorum pondere diuerſam tuentur ſententiam, omnibuſque, de Lucernis perpetuo ardentibus, narrationibus,

quibus, complurium doctorum uirorum teſtimoniis comprobatis, alii fundamenti loco, innituntur, parum fidei habent, eaſdemque fabuloſas, et uanitatis ſuſpectas, nulliuſque momenti eſſe, palam atque aperte fatentur. Inprimis autem id urgent, quod pauciſſimi teſtes huiuſmodi Lucernarum oculati; plurimi uero auriti dentur, qui nimis creduli, ab aliis in errorem ſe induci, facile paſſi fuerint. Quorum nomine ipſe LICETVS uenit, quippe qui ardentes Lucernas ſe nunquam uidiſſe, ac cum iis tantum, qui eas ſaepe uiderint, loquutum ſe eſſe, ultro confitetur. Qui uero ſuis oculis eaſdem uſurparunt, RASCELLVS et PORTA, horum teſtimonio nemo ſanus fidere poteſt, propterea, quod non ſemel uanitatis, ac portentoſarum narrationum, manifeſti deprehenſi fuere. *Confer.* FERRARIVS, *l. c. p. 1005.* Quamobrem Viri, iudicio pollentes, fabulas iſtas ſolidis, et exquiſitis, quibus nemo facile contradicere poterit, rationibus confutarunt, et quae alii ſcriptores, uel ad admirationem in hominibus concitandam, uel ad propagandam tam inuſitatae rei memoriam, de Lucernis perpetuo ardentibus, non tam tradiderunt, quam finxerunt, docte, ſalſeque, exploſerunt. Quos inter principe loco numerandus eſt OCTAVIVS FERRARIVS, magnum Inſubrorum decus, atque ornamentum, qui eruditiſſima Diſſertatione, de *Vet. Luc. Sepulcr.* cuius ſaepe memini, conſcripta, LICETI ſententiam ex inſtituto impugnandam ſuſcepit. Quocum comparandus eſt doctiſſimus Italus, PAVLVS ARESIVS, Dertonenſis Antiſtes, *Libro de Emblematibus, ſiue inſignibus S* uernaculo ſermone ſcripto, itemque ATHAN. KIRCHERVS, qui breuiter quidem, ſed accurate contra LICETVM diſputauit. *Vid. Mund. Subt. Tom. II. L. VIII. Sect. III. c. 1. et Oed. Aegypt. Tom. III. c. 3. Syntagm. 20. §. 9.* Quorſum etiam referri poteſt Io. ARGOLVS in ONVPHRII PANVINII *L. II. c. 3. de Lud. Circ. p. 390, 391, ap.* GRAEVIVM *Theſ. Ant. Rom. Tom. IX.*

§. LV.

Ad Lucernam itaque ardentem, in Tulliolae Sepulcro reper-

repertam, in qua praecipuum cauſae praeſidium diuerſae ſententiae aſſertores, ac uindices, collocare uidentur, quod attinet, fabulis eam annumerare, FERRARIVS non dubitauit. Etenim COELIVS RHODIGINVS, ALEXANDER ab ALEXANDRO, RAPHAEL VOLATERANVS, ea tempeſtate Romae commorati, de Lucerna hac, perpetuo ardente, quum inuentum ſepulcrum commemorarunt, data quamlibet occaſione opportuniſſima, ne uerbum quidem fecerunt. Quum uero uulgaribus plerumque, ac uanis, rebus lectorem ſaepe detinere ſoleant, non eſt credibile, ipſos tam nouam, atque admirabilem, rem, aut rectius miraculum, ſilentio praetermiſſuros fuiſſe. De reliquis Lucernis, a LICETO memoratis, nihil addo, ſed ad FERRARIVM, qui de pleriſque omnibus egit, accurateque LICETO reſpondit, lectorem meum remitto. Id tantum moneo, agricolas, et foſſores, Lucernas, in Monumentis adhuc ardentes, ſe uidiſſe, putantes, aut inſigniter hallucinatos fuiſſe, aut alios de induſtria fefelliſſe, ut pluris eas uenderent, reique inuentae pretium tanto ex miraculo augerent. Namque ex immiſſis ſolis radiis, aut ſcintilla, ferri ictu e lapide excuſſa, aut ex uapore telluris, ibi accenſo, rudes, ac ſuperſtitioſi, homines decipi facillime potuerunt. Tum uero ueriſimile eſt, quoſdam praeſtigiis ſuis ſpectatoribus illuſiſſe, Lucernaſque, a ſe accenſas, in antiquiorum Monumentorum ruderibus antea occultaſſe. FERRARIVS certe tales Lucernas, licet omni opera, atque induſtria, in eas inquiſiuerit, alioſque et uoce, et literis, de iiſdem conſuluerit, in ueterum ſepulcris ipſe reperire, aut certi quid a fide dignis auctoribus de illis cognoſcere, fruſtra ſemper, dum uiueret, conatus fuit. *Vid. l. c. p. 1011.*

§. LVI.

Quae quum ita ſint, omnem de Lucernis, perpetuo ardentibus, narrationem commentum eſſe, inſita rerum admirandarum cupiditate, et fabularum dulcedine, auidius initio a credulis exceptum, latiuſque poſtea diuulgatum, ac poſteris commendatum, ita quidem, ut et doctiſſimos Viros in errorem rapuerit, diuque in ipſis Philoſophorum ſcholis plauſum, atque approbationem, meruerit, ſtatuo, firmiſſimeque aſſeuero. Cuius ſententiae duas potiſſimum cauſas habeo, quae a nemine, niſi omnia me fallunt, infringi, ac labefactari, poſſunt. Prima eſt, quod antiquiores Scriptores omnes, de Regum, principumue uirorum, funeribus mentionem hinc inde iniicientes, Lucernas prorſus praetereant, indicio haud obſcuro, priſcos nihil de

iis cognitum, perſpectumque, habuiſſe. Quod ſi uero ſingulare hoc Lucernas perpetuo ardentes conficiendi artificium Veteribus innotuiſſet, ex uariis Graecis, Latiniſque, Scriptoribus uel unus de eo quid memoriae, ac literis, mandaſſet, atque immortalitati tradidiſſet. Altera eſt, quod peritiſſimi *Chymici*, ex Amianto, ſimiliue lapide, oleum, ſiue liquorem, flammam conſeruantem, quod unicum fere illorum refugium eſt, arte ſua extrahi non poſſe, libere profiteantur. Hi enim, teſte KIRCHERO *M. S. l. c. p. 72.* accepta materia quadam *aſbeſtina*, omnem quidem diligentiam, ut oleum ex ea habere poſſent, adhibuerunt; ſed laborem fruſtra ſemper impenderunt, nihil ſe effeciſſe, ſincero animo teſtati. Quod pluribus me docuit laudatus DN. D. VATERVS, celeberrimus, et arcanorum *Chymicorum*, ſi quiſquam, ſcientiſſimus Vir, atque Amiantum, alioſque huius generis lapides, comburi neſcios, ac Metalla etiam, ope certi liquoris, duriora *corpora* diſſoluentis, ſiue *Menſtrui Corroſiui*, ut periti artis loquuntur, in humorem quidem ſubſalſum, oleo ſimilem; minime uero ad inflammandum aptum, reſinoſum, et bituminoſum, reſolui poſſe, mihi confirmauit. *Vana* itaque *eſt, fruſtraneaque, omnis in perpetuo ardentibus Lucernis conſtruendis humani ingenii induſtria, nec unquam ſimilem Lucernam in rerum natura extitiſſe, is ſolus neſcire poterit, qui fundamenta Naturae, efficaciſſimamque ignei elementi, omnia deſtruendis, poteſtatem ignorarit.* Quibus celeberrimi KIRCHERI uerbis, memorato loco extantibus, Diſſertationem meam, immortales ſummo NVMINI, pro conceſſis uiribus, agens, habenſque, gratias, commodum concludo.

ADDENDA.

Quod ſupra in fine §. VI. docui, Iudaeos Lucernis Sepulcralibus uſos eſſe, me non legiſſe, de antiquioribus, nihil commercii cum aliis Gentibus, quas auerſabantur, habentibus, intellectum uolo. Aetate enim poſteriores, euerſis Hieroſolymis, Palaeſtina eiecti, ac cum *Gentilibus* permixti, horum quoque inſtituta ſaepe amplexi ſunt, et ad peregrinos mores ſe accommodarunt. Speciatim uero in Romanorum ditionem, et poteſtatem, redacti, Lucernas Sepulcrales, quarum frequentiſſimus Romae uſus fuit, ab iis accepiſſe, uidentur. Documento ſit Lucerna, olim Belloriana, nunc Brandenburgica, in Iudaico Monumento ad portam Portuenſem in Vrbe Aeterna reperta, et a BEGERO memorata, *P. III. Luc. Icon. pag.* 11. *No.* 33. Quae B. L. ignorare nolui, ne, mente mea non ſatis percepta, per errorem ibi me lapſum fuiſſe, putet. Erratis autem leuioribus ueniam ab aequitate eius etiam atque etiam peto, et, ſi in difficillimo hoc argumento nonnulla forte minus recte aſſequutus fuero, ea ſubmonitus, ac meliora edoctus, alia oacaſione perlibenter emendabo.

S. D. G.